OFFICIA
PROPRIA
SANCTORVM
TOLETANÆ ECCL.
ET DIOECESIS.

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
Gregorio XIII. Sixto V. & Paulo V. approbata.

Illustriss. ac Reuerendiss. D.D. Gasparis de Quiroga & Bernardi de Sandoual & Rojas S.R.E. Cardinalium Archiepisc. Toletanorum, iussu edita.

NVNC DENVO AD VSVM BREVIARII
Romani Clementis Papæ VIII. reformata,

Quibus etiam festiuitates toti Hispaniæ communes continentur.



MATRITI, Ex Typographia Regia.

M.DC.XXVI.

LICENCIA.

NOS Don Diego de Guzman por la gracia de Dios, y de la ſanta Igleſia de Roma, Patriarca de las Indias, Arçobiſpo de Seuilla, Capellan y Limoſnero mayor de ſu Mageſtad, de ſu Conſejo, y del de la ſanta y general Inquiſicion, Comiſſario general de la ſanta Cruzada, y otroſi juez Apoſtolico y Real para lo tocante à la impreſsion, taſſa y diſtribucion de los libros del nueuo rezado, &c. Por la preſente damos licencia à doña Tereſa Iunti Impreſſora del Rey nueſtro Señor, para que pueda imprimir eſte quadernillo de los Santos del Arçobiſpado de Toledo, con que ſe ponga al principio del eſta licencia, y antes que ſe diſtribuya, ſe trayga ante Nos, para que ſe corrija y taſſe. Dada en Madrid à 7. de Iulio de 1626. años.

El Patriarca, Arçobiſpo de Seuilla.

Por mandado de ſu Señoria Iluſtriſsima.

D. Rodrigo Martinez de Freſneda.

NOS

NOS Guillielmus Sirletus Tituli S. Laurentij in Palisperna Presbyter Cardinalis, fidem facimus, sanctissimum D.N.D. Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo concessisse, vt in Ecclesia Toletan. & eius Diœcesi celebrari possint officia hoc libello cõtenta. Romæ ex habitatione nostra in Palatio Apostolico, die xxiiij. Iulij, anno Domini 1581.

Ita est. G. Sirletus Cardinalis.

OFficia suprà scripta cum lectionibus secundi Nocturni proprijs SS. Helladij, Eulogij, & Eugenij, qui fuerunt Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopi, & quorum Imagines in Ecclesia prædicta ex antiquissima, inueterata, & immemorabili consuetudine, tamquam sanctorum eiusdem Ecclesiæ semper veneratæ sunt, & adhuc venerantur, de mandato, & ordine Congregationis sacrorum Rituum ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Cardinali Bellarmino, semel atque iterum diligenter recognita, examinata, & subscripta: eadem sacrorum Rituum Congregatio approbauit, & vt in Ecclesia & Diœcesi Toletana liberè & licitè in proprijs diebus, & solemnitatibus ipsorum Sanctorum recitari possint & valeant, licentiam & facultatem dedit, & concessit die 15. Ianuarij 1611.

Dom. Episc. Ostiensis Cardin. Pinellus.

Mutantius Secret. Congregat.

GASPAR DE QVIROGA

MISERATIONE DIVINA S. R. E. TITVLI S. Balbinæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, Inquisitor generalis, &c. Capitulo nostro, & vniuerso Clero Diœcesis Toletanæ, Salutem in Domino.

BReuiarium Romanum, ex decreto sacrosancti Cōcilij Tridentini restitutum, & à felic. record. Pio Papa V. editum, multas, præclarasquè continet vtilitates. Nam Ecclesiasticum officium, quod temporis diuturnitate à prima institutione deflexerat, ad antiquam, & à sanctissimis, sapientissimisquè Pontificibus constitutam orandi regulā accuratè reuocat: & sublatis varijs sacras preces recitandi formulis, quas vel negligentia (commoditatis, ac breuitatis specie) excogitauerat, vel priuatum quorumdam studium, ac deuotio inuexerat, vnam omnibus, eandemquè Horas Canonicas psallendi, dicendiquè normam proponit. Sed quamuis Breuiarium Romanum eorum Sanctorum, qui in vniuersa Ecclesia celebriores sunt, nominatim officia contineat, multos tamen prætermittere necesse fuit, qui per vniuersum orbem terrarum in suis quiquè Ecclesijs sunt celeberrimi. Quia tamen eos suo cultu, ac debita laude fraudare, iniustum esset, quos parentes, ac cælestis doctrinæ magistros habuimus, permisit idem Pius Quintus, vt singulæ Ecclesię, quæ suos habent proprios sanctos, proprium etiam illorum, ac peculiare officium habere, & ad communem Breuiarij Romani rationem adiungere possent. Postmodùm verò sanctissimus D. N. Gregorius XIII. cùm intellexisset quinque festa (nempè Expectationis B. Mariæ, Triumphi S. Crucis, S. Ildefonsi, S. Isidori, & S. Annæ) per totā Hispaniam in magna semper veneratione fuisse, hæc omnibus Hispaniarum Ecclesijs communia esse voluit. Itaquè nos pro nostri muneris ratione, re tota cum fratribus nostris Canonicis communicata, tùm

illorum

illorum quinque sanctorum, tùm cæterorum, qui proprij sunt huius nostræ Toletanæ Diœcesis (cui diuina dispensatione, licèt indigni, præsumus) vel in ea iam olim celebrantur, neque in Breuiario Romano continentur, festa inuestigauimus: eorumque proprium officium, ad Breuiarij Romani normam cōformatum, confici iussimus. Quod cùm studiosè, nonnullis pijs atquè eruditis viris adhibitis, & antiquissimis manuscriptis libris perlectis, grauissimorumquè, ac probatissimorum auctorum monumentis excusis perfectum esset, ad sanctissimum D. N. Gregor. XIII. librum ipsum, sanctorum nostrorum officia continentem, misimus: qui librum examinatum, & per summos, ac eruditissimos viros magno studio ac diligentia recognitum, probauit, & Apostolica auctoritate cōfirmauit: Nobisquè edendum in lucem, atque publicandum misit. Quamobrem vobis vniuersis, ac singulis clericis Nobis subiectis, his litteris mandamus, vt in festiuitatibus sanctorum, qui hoc libello continentur, hoc officio Ecclesiastico, ac precandi ratione, & non alia deinceps, tùm publicè, tùm priuatim vtamini. Confidimus de Domini nostri pietate, cuius Nobis tātummodò gloria ad oculos posita est, multum vos ex hac precandi ratione fructus percepturos. Habebitis enim eorum sanctorum, qui nos genuerunt, vel educauerunt in Christo, ante oculos posita multa vera, ac solidæ sanctitatis exēpla, Eugenij, Ildefonsi, Iuliani, Leocadiæ, & aliorum, quos vt domesticos, tutelaresquè nostros imprimis colere, & gratissima animi pietate prosequi debemus, eosquè quotidie apud Dominum adhibere precatores: vt quorum doctrina, & vitæ sanctitate instruimur, patrocinio etiam nitamur, ac meritis subleuemur. Datum Toleti die xv. Iunij. Anno M.D.LXXXIIII.

BER-

BERNARDVS SANDOVAL, & Rojas, S. R. E. Tituli S. Anastasiæ miseratione diuina Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, &c. Capitulo nostro, & vniuerso clero Toletanæ Diœcesis, salutem in Domino.

SAnctorum cultus, & pia est iustorũ recordatio, eorum scilicet, qui pro Christo Domino, aut vitæ dispẽdio, aut morum, & doctrinæ integritate relinquere posteris, quæ æmularentur, exempla. Verùm eos potissimùm ardentiùs decuit reuereri, qui in spiritali cõflictu, paterno quondam affectu, pro patria, pro maiorum nostrorum, pro nostra adhùc salute & incolumitate dimicarunt: quos, quia paterna charitas è nostris finibus in cælũ euexit, in eisdẽ congruit, vt filiali venerentur obsequio; vt vbi eorum extitit domicilium, ibi etiã sit & gloriæ principatus. Cùm ergo felicis recordationis Pius Papa V. singulis Ecclesijs indulserit, priuatos, quos quæq; habet Ecclesia, sanctos, peculiaria ac propria habere officia, dummodò Breuiarij Romani ex Decreto sacrosancti Concilij Tridentini restituti, normæ & regulis conformentur: & Gregorius XIII. Põtifex Maximus ex Motu proprio quinque festa, nempè Expectationis B. Mariæ Virginis, Triumphi sanctæ Crucis. SS. Ildefonsi, Isidori, & B. Annæ, per totã dudum Hispaniam attentiùs venerata, omnibus Hispaniarum Ecclesijs voluerit esse communia, peculiari insuper indulto officia omnia in libello de sanctis Eccle-

siæ,

ſiæ & Toletanæ diæceſis contenta, iuſſu Gaſparis Quiroga Cardinalis prædeceſſoris noſtri edito, in hac diæceſi permiſerit recitari; acceſſerunt ſanctiſsimi Patres noſtræ almæ Eccleſiæ Toletanæ Põtifices, Helladius, Eugenius III. & Martyr, iam pridẽ de Eccleſiæ Romanæ indulgentia beatorũ numero adſcripti, pro quibus ſorderet iam filiorũ memoria, ſi ſuis ſaltẽ Natalibus eorũ merita omitteret recordari. Quare precibus noſtris accliuis beatiſsimus Pater Paulus Papa V. Semiduplicis eos officij ritu in noſtra diæceſi voluit celebrari. Sed cùm Breuiarium Romanũ denuò à Clemente VIII. recognitũ aliquãtulum ab antiquo, & à ſupplemẽtis huc uſque editis deflexerit, cùm mutata aliqua, aliaque fuerint adiecta, indeque diuerſa feſtorum concurrentia obtingat, vt aptiori recitandi formæ cõſuleremus (quod noſtri muneris eſt) re hac accuratiùs perſpecta, ex integro decreuimus, reformari, &, quò faciliùs ſuppetant, prælo mãdari. Quapropter, vobis omnibus & ſingulis noſtræ ditionis clericis, & monialibus, ordine ſacro, aut aliàs ad Horas canonicas recitandũ obſtrictis, noſtris his literis mãdamus, vt in feſtiuitatibus hoc libello cõtẽtis, his officijs, precãdi ratione, & forma, & non alia deinceps publicè & priuatim vtamini: ſic fiet, & vos ſanctis debitum famulatum exſoluere, & eorum pariter ſuffragia promereri. Datum Matriti die 7. Ianuarij, anno Domini 1613.

GREGO-

GREGORIVS PAP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij cura nos admonet, vt ea, quæ magis conducere censemus, pro locorum, & personarum qualitate cōcedamus. Sanè licèt aliàs, post Missalis, & Breuiarij ex decreto sacri Concil. Trid. editionem, felic. recordat. Pius V. prædecessor noster, dilecti nobis filij Ludouici de Torres, Malacitani, & Cameræ Apostolicæ Clerici, qui tunc ex Hispaniarum Regnis, atque ab eodem prędecessore pro certis grauibus negotijs, ad rem publicam Christianam spectantibus, missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas, scilicet, vt ipse Ludouicus à viris grauissimis, ad hunc effectum à charissimo filio nostro Philippo, Hispaniarum Rege Catholico, deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas, nonnulla quoad Hispaniarū regna prædicta duxerit reformanda, & concedenda; nihilominus quia, vt idem Ludouicus Nobis retulit, re ipsa compertum est, adhùc aliqua ad Missalis, & Breuiarij impressionem, quæ in illa prouincia magnis impensis curatur, desiderari. Nos eius dictis certam adhibentes fidem ad omnem scrupulum dimouendū, motu proprio, & ex certa sciētia nostra, ac de Apostolicę potestatis plenitudine hęc, quæ sequuntur, declaranda duximus, & concedenda. Imprimis illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio: cùm enim prædecessor prædictus indistinctè concesserit, vt Ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, illęquè plures sint numero, ex hoc sequebatur, vt officium maioris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarij ferè subuerteretur. Nos huic incōmodo occurrere volētes, & prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus, vnamquamquè Hispaniæ Ecclesiam eorum tantùm Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ, seu Diœcesis sunt patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seu Diœcesi requiescūt. De alijs verò sanctis, etiam si sint naturales, vel patroni alterius Diœcesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed seruetur ordo Breuiar. Rom. Et quo die celebrabitur festiuitas patroni vnius Diœcesis, religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesijs, intra limites illius Diœcesis existentibus, eamdem festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia Matrice se conforment. Item

volumus,

volumus, quòd festiuitates sequentes sint in tota Hispania generales: ita quòd omnes Ecclesiæ, & religiones existentes in illa Prouincia recitent de illis,& celebrent propria illorum officia. Quæ sunt festiuitates, Expectat. Dñæ nostræ, quæ celebratur die xviij. mẽsis Decembris. Et quoniã dicta die, iuxta Breuiariũ Romanum, feria habet Añas proprias ad Laudes, ne Añæ prædictæ omittantur, & vt festiuę singulis annis in illa Prouincia decantentur, mandamus, quòd dictæ Añæ feriales, quæ in die, in qua officiũ Expectationis celebratur, dicẽdæ essent, reponãtur die xvj. Decembris omissa ea quæ ad Canticũ dicitur: cuius loco dicatur ea, quæ ad Canticum ponitur in Psalterio. Et idem fiat de Añis in die S. Thomæ occurrentibus, reponẽdis in Sabbato, quãdo festum Expectat. huiusmodi in Sabbato venerit: vt scilicet Antiphonæ in die S. Thomæ occurrentes, tũc reponãtur die xvj. Decẽbris, dempta ea, quæ dicitur ad Cãticum, vt sup. Item festiuitas Triumphi S. Crucis, quæ cælebratur die xvj. Iulij. Item festiuitas S. Ildefonsi Archiepis. Tolet. conf. Itẽ festiuitas S. Isidori Archie. Hispal. pro quo celebretur officium Doctoris, & reciteturCredo in celebratione Missæ. Insuper celebretur festiuitas S. Annæ matris B. Mariæ Virginis in omnibus locis vbi fuerit Ecclesia, vel capella dictæ Sanctæ ad Præsens, vel vbi ædificabitur Ecclesia in futurũ. Item concedimus, quòd quælibet Ecclesia, & monasterium Hispaniæ habens aliquas reliquias insignes, puta, caput, brachium, vel crus, alicuius sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantùm commemoratio, posit illius festiuitatem celebrare, & officium duplex facere: & de alio sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio: si verò fuerit duplex, vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam. Et quoniam in Regno Castellæ in pluribus Ecclesijs celebratur die xxx. Decembris Translat. S. Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, præcipuum duplex, & in Breuiario ponitur die xxix. Festiuitas S. Thomæ Archiep. Cantuar. & Martyris semidu. & in anno quo festiuitas S. Thomæ occurrit in Dominica, iuxta regulam Breuiarij transfertur in diem sequentem, quo die in eo Regno celebratur supradicta festiuitas S. Iacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua; in qua posit celebrari: festiuitas prædicti S. Thomæ transferatur ad primam diem duplici non impeditam, quæ erit Vigilia Epiphaniæ: & tunc de vigilia fiat tantùm commemorat. Ad Vesperas autem Epiphaniæ nulla fiat commemoratio de festo S. Thomæ prædicti. Cùm verò in Ecclesijs, & religionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quòd diebus Paschalibus, & festiuitatibus maioribus celebret MissamConuentualem Antistes, vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominicis infra annum, Sacerdos qui celebrauerit Missam Conuentualem,

exeat ante celebrationem Missæ,cum pluuiali,vel cappa,& cum ministris,ad incipiendum in altari maiori Añam. Asperges,& aspergendam aquã benedictam populo,concedimus,quòd Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conuentualem,præmissa facere non teneatur,sed illa facere posit quilibet alius simplex sacerdos eius loco,& quòd talis sacerdos non deferat pluuiale, sed albam, & stolam,vel superpellicium,& stolam,nec procedat associatus cũ Ministris,sed solũ cũ Acolythis. Hæc autẽ omnia,& singula ad Breuiarium,& Missale concernentia,per fel.record.Pium V. & nos cõcessa pro Hispaniarum Prouincijs, volumus, vt intelligantur etiam concessa Ecclesijs Insularum,& terræ firmæ Indiarum, dicto Regi Catholico subiectarum,& insuper statuimus, quòd Missæ Sanctorum, quæ iuxta Motum proprium dicti Pij V.in Missali Romano in Hispanijs imprimendo possunt imprimi,non in corpore,sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per præsentes Apostolica autoritate declaramus, statuimus, concedimus, & indulgemus, non obstantibus præmissis, & litteris prædecessoris prædicti,in Breuiario, & Missali, ac regulis sub rubricis generalibus, cũ ipsismet Breuiarijs, & Missalibus impressis,necnon omnibus,& singulis in eis contentis,prohibitionibus,clausulis,derogationibus,& decretis(quę omnia,nos ad effectum præsentium,in dictis Prouincijs locum sibi nõ vendicare decernimus)ac alijs,quæ dictus prædecessor in suis literis obstare non voluit,cæterisque contarijs,quibuscumque. Vt autem pręsentes litterę,omnibus innotescant,volumus, & districtè pręcipiendo omnibus,& singulis librorum impressoribus, in partibus illis consistentibus,mandamus,vt illas in cuiuslibet Missalis, & Breuiarij principio imprimant,& imprimi curent,aliàs,illis non appositis, & impressis, pręsentes nemini suffragentur. Datum Romæ,apud sanctum Petrũ, sub annulo Piscatoris,die xxx.Decembris.M.D.LXXIII.Pontificatus nostri anno primo.

Cæs. Glorierius.

SIXTVS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

QVÆ ad sanctorum venerationem augendam, beatarum præsertim virginum, pertinere intelligimus, & earum in primis, quæ ad virginitatis palmam, coronam martyrij per Dei gratiam in sexu fragili adiunxerunt, libenter pio nostro Pastorali officio concedimus, vt Deus in sanctis suis, in quibus semper est mirabilis, impensius collaudetur, & Christi fidelium populorum deuotio, præcipuè erga Sanctos Patronos vehementius accendantur. Sanè pro parte charissimi in Christo filij nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, nobis nuper exhibita, petitio continebat: annis superioribus fideli testimonio eidem Regi relatum esse corpus S. Leocadiæ Toletanæ virginis, & martyris, quæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Ecclesiam persequentibus, martyrij palmam Toleti promeruit. Olim ex Hispania in Hannoniam Belgij Prouinciam translatum in insigni Monasterio S. Gisleni in Cella Ordinis S. Benedicti Cameracensis Diœcesis collocatum, ibidem magna cum veneratione annos supra quadringentos asseruatum esse. Quare cùm ipse Philippus Rex, & Belgij Dominus, ob singularem deuotionis affectum, quem erga eamdem Christi virginem, & martyrem gerit, sacri illius corporis, in patriam reportandi pio desiderio exarsisset, post non mediocrem diligentiam adhibitam, rei veritate bene cognita, & perspecta, corpus ipsum, licentia à felic. recordat. Gregor. Papæ XIII. prædecessore nostro, legitimè impetrata, religioso Sacerdoti Societatis Iesu, ad id delecto, solemniter tradi, ab eoque in Hispaniam magna cum diligentia deferri curauit. Cumque demum, sicut eadem subiungebat petitio, incredibili omnium gaudio Toletũ peruenisset, à toto clero, & populo Toletano magnificentissimo apparatu exceptum, ipsoque Philippo Rege, & Principe filio, virisque Hispaniæ proceribus, suaue onus piè, ac deuotè ferentibus, idem venerandum corpus, in dictæ ciuitatis Toletanæ primarium templum sexto Kalend. Maij, anni Domini millesimi quingentesimi octogesimi septimi illatum, ac regia manu venerabili fratri nostro Archiepiscopo, ac dilectis filijs Decano, & Capitulo Ecclesiæ Toletanæ traditum fuit, vbi tamquam pretiosus, & planè celestis thesaurus religiosissimè asseruatur. Cupiens igitur prædictus Philippus Rex ob eius maximã, & totius populi, ne dum ciuitatis, & Diœcesis Toletanæ,

ſed omnium Hiſpaniarum Regnorum erga ipſam ſanctam Leocadiam deuotionem,& venerationem,vt eiuſdem S.Leocadiæ martyrij,ac translationis dies duplici officio colantur,& celebrentur,nobis vnà cũ prædictis venerabili fratre noſtro Archiepiſcopo Toletano, & dilectis filijs Decano,&Capitulo eiuſdem Eccleſiæ humiliter ſupplicari fecit,quatenus eius deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſque in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos autem ipſius Philippi Regis erga Deum, & ſanctos ſuos eximiam pietatem plurimum in Domino commendantes,huiuſmodi ſupplicationib⁹ inclinati,hac noſtra perpetuò valitura cõſtitutione ſtatuimus,atque decernimus,quòd eiuſdem S.Leocadię martyrij dies v. Idus Decemb.in ipſa Eccleſia Toletana duplici officio de cõmuni vnius virginis & martyris,vbi deeſt proprium à prædicto Gregorio prædeceſſore noſtro approbatum,tamquam de patrona iuxta rubricas Breuiarij Romani,in omnibus autem Regnis Hiſpaniarum ipſe dies martyrij,dicto officio duplici;dies autem translationis corporis prædictæ S.Leocadiæ,quæ,vt præfertur,facta fuit vj. Kalend. Maij,tam in dicta ciuitate,quàm in tota Diœceſi Toletana etiam dicto officio duplici,vt in die martyrij, quotannis in perpetuum celebrentur cum lectionibus per venerabilem fratrem noſtrum Alphõſum Epiſcopum Portueñ. Geſualdum, & dilectos filios Gabrielem S. Laurentij in Lucina Paleottum Nicolaũ. S. Cæciliæ Cremoneñ. Vincentium S. Clementis montis Regalis, titulorum presbyteros, Aſcanium S.Nicolai in Carcere,Tulliano Columnam, ac Federicũ S.Mariæ in Dominica Borromæum, Diaconos S.R.E.Cardinales cõgregationi ſuper ſacris ritibus,& cæremonijs Eccleſiaſticis præpoſitos,ac alios doctos,& peritos viros, ad id ab eadem congregatione, auctoritate noſtra delectos,accuratè recognitis,& examinatis. Mandantes omnibus, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Archiepiſcopis,& Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in omnibus Hiſpaniarum Regnis conſtitutis, vt faciant in ſuis quiſque Eccleſijs, Prouincijs, ciuitatibus, & diœceſibus præſentes noſtras ſolemniter promulgari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis, ſæcularibus, & quorumcumque ordinum regularibus,qui diuinum officium ſecundùm Romanæ Eccleſiæ ritum celebrare tenẽtur,omninò obſeruari. Decernentes ipſum officium S.Leocadiæ ſeparatim,& ſeorſum à Romano Breuiario imprimi,& impreſſum diuulgari,& in Eccleſijs, & locis prædictis in vſum,& conſuetudinem introduci,ac in Kalendarijs Eccleſiarum Hiſpaniæ ad eum diem S.Leocadiæ nomen, & duplicis notam adſcribi:atque ad alios proprios Hiſpaniarum dies feſtos,qui ex indulto Apoſtolico in eorum Eccleſijs celebrantur, hanc quoque ſolemnitatem addi debere:ita vt omnes, & ſingulæ vtriuſque ſexus perſonæ,tam ſæculares,quàm regulares,huiuſmodi officiũ

ſanctę

sanctæ Leocadię in martyrij, & per octauam, ac translationis diebus prædictis recitantes, debito suo perinde satisfecisse censeantur, ac si horas Canonicas, & alia diuina officia, iuxta ipsius Romani Breuiarij præscriptum recitassent, nec desuper à quoquam molestari, perturbari, vel inquietari possint. Volumus autem, quòd præsentium trãsumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorũm statuti, mandati, decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę millesimo quingentesimo octogesimo nono, nonis Aprilis, Põtificatus nostri anno quarto. E. Cardinalis prodatarius. A. de Alexijs, Registrata apud Marcellum Secretarium.

KALEN-

KALENDARIVM
Festorum, quæ in sequenti additione continentur.

IANVARIVS.

DM. xiiij SI Dominica Septuagesimæ venerit sequẽti Dñica post oct. Epiph. (id est) die xviij. vel xix. Ian. in die S. Hilarij, fit de Dñica 2. post Epiph. cũ com. S. Felicis, festum S. Hilarij, trãsfertur post Octa. S. Ildefonsi, die xxxi huius mẽsis & tũc 9. lect. quæ deest in officio S. Hilarij sumitur de hom. S. Aug. Ostendit Dñs, vt in communi Doct. & dicatur in principio. Itẽ hom. S. Aug. Episc.

xx Quãdo festũ SS. Fabiani & Sebastiani in Dñica Septuages. venerit, trãsfertur in fer. 3. post Domin. Sexages. in diẽ, scilicet xxviij. Ian. & tunc in primis Vesp. fit com. Domi. Sexagesimę, oct. S. Ildefonsi. & S. Agnetis, secũdo, & ad Matut. legitur 9. lect. de S Agnete. cũ com. octa. & S. Agnetis, & in 2. Vesp. à cap. fit de S. Ioanne Chrys. etiã traslato propter Dominicam Sexages. cum comm. SS. Fabiani & Sebastiani, & oct. S. Ildefonsi.

xxj Si festũ principale S. Agnetis venerit in Dom. Septuages. trãsfertur in fer. 2. post Domin. Sexages. in diem xxix. Ianuarij, & tũc in primis Vesp. huius festi fit cõ. Dom. Sexages. & octa. S. Ildefonsi, in secundis verò à cap. fit de die octauo S. Ildefonsi, cum com. S. Agnetis.

xxij Quando festũ SS. Vinc. & Anast. in Dñica venerit, trãsfertur post octa. S. Ildefonsi, in diem xxx. Ianuarij.

xxiij Ildefonsi Archiepisc. Tolet. Conf & Patr. dup. 1. clas.

xxiiij DescẽsioB. M. Virg. dup. 2. clas. Toleti colitur, & festũ S. Timothei, transfertur post oct. S. Ildefonsi.

xxv Conuersio S. Pauli Apost. dup. mai. vt in Breuia. cũ com. S. Petri, & octa. S. Ildefonsi.

xxvj Polycarpi Episc. & mar. sem vt in Breu. cum com. octa.

xxvij Ioannis Chrys. Episc. & conf. dup. vt in Breu. cum com. oct. de Oct. S. Ildefonsi. cum com. S. Agnetis, secundo.

xxviij De octaua.

xx x De octaua.

xxx Octaua S. Ildefonsi, duplex.

FEBRVARIVS.

xij Translatio prima S. Eugenij Archiep. Tolet. & mar. dup.

xviij Helladij Archiep. Tolet. & conf. sem d.

MAR-

M. D. **MARTIVS.**

* Angeli Custodis, duplex maius.
viij Iuliani Archiepisc. Tolet. & conf. dup. maius.
xi Eulogij Presbyt. & mart. electi Archie. Tolet. semid.
xviiij Gabrielis Archang. dup. maius.

APRILIS.

iiij Isidori Archiep. Hispal. & conf. dup.
xiij Hermenigildi martyris, duplex.
xxij Sotheris & Caij Pontif. & mar. dup. in Ecclesia matrice eo quòd in eadem habetur corpus S. Sotheris.
xxvj Translat. S. Leoc. virg. & mar. dup. Toleti colitur.

IVLIVS.

xvj Triumphus S. Crucis, dup. mai. Toleti colitur.
* xxv Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, dup. 1. clas.
xxvj Annæ matris B. Mariæ, dup. cum com oct.
xxvij De oct. S. Iacobi, cum comme. S. Pantaleonis.
xxviij Nazarij, Celsi, &c. mar. semid. cum comme. octa.
xxix Marthę virg. semid. cum comme. octau. & SS. Felicis Papæ, Simplicij, &c. mar.
xxx De oct. cum comm SS. Abdon. & Sennen.
xxxj De octaua.

AVGVSTVS.

j Octa. S. Iacobi Apost. dup. cũ com SS. Macha. mar.
ij Petri ad Vincula, dup. maius (fuit heri) cum com. S. Stephani Papæ & mart.
vij Iusti & Pastoris fratrum mart. semid (fuit heri) cum com. S. Donati Episc. & mart.
xij In Ecclesia matrice fit de S. Clara, officium, dup. intra chorum tantùm, cum com. octa. S. Laurentij.

SEPTEMBER.

xxij In Ecclesia Matrice fit de S. Mauricio, & socijs, offic. dup. eo quòd in ea habetur caput vnius illorum.

OCTOBER.

j In Ecclesia Matrice fit de S. Germano Episc. & conf. offic. dup. cum com. S. Remigij Epis. & conf. habetur enim caput S. Germani in eadem Ecclesia.
vij In Ecclesia Matrice fit de S. Marco Pap. & conf. offi. dup. cum com. SS. Sergij, Bacchi, & aliorum mart.
xxj In Ecclesia Matrice fit de S. Vrsula, & soc. vir. & mar offi. dup cum com. S. Hilarionis Abb. habentur multa capita dictarum virg. in eadem Eccle.
xxv Dedicatio Ecclesiæ Toletanę in Ciuitate dup. 1. clas. extra Ciuitatem, dup. min cum comm. SS. Chrysanthi, & Darię mart.

xxvj	De octaua Dedicationis Ecclesiæ Tolet. cum comme. Euaristi Pap. & mart.
xxvij	De oct. cum com. & 9. lect. vig. Apost. Simonis & Iudæ.
* xxviij	Simonis & Iudæ Apost. dup. secundæ clas.
xxix	De octaua.
xxx	In Ecclesia Matrice, intra chorũ tãtũ, fit de festo Victoriç Benamerim, cum com oct. extra chorũ fit de octaua.
xxxj	De oct. cum comm. vigiliæ omnium Sanctorum.
	NOVEMBER.
* j	Festum omnium Sanctorum, dup. 1. clas. cũ comm. diei octa. Dedicat. Eccles. Tolet.
xij	Didaci conf. dup. & festum S. Martini Pap. transfertur.
xiij	Eugenij tertij Archiep. Tolet. & conf. semid.
xiiij	Martini Pap. & mart. semid. fuit xij. huius.
* xv	Eugenij Archiepiscopi Toletani mar. & Patroni, dup. primæ clasis.
xvj	De Octaua S. Eugenij.
xvij	Gregorij Thaumaturgi Epis. & conf. semid. cũ com. oct.
xviij	Tráslatio secũda S. Eugenij Archiep. Tolet. & mar. dup. Toleti colitur Dedic. Basil. Apost. transfertur.
xix	Dedic. Basil. Apost. Petri & Pauli, dup. (fuit heri) cum com octa. S. Pontiani Pap. & mart.
xx	De octaua.
xxj	Præsentatio B. M. Vir. dup. mai. cũ com. oct. S. Eugenij.
xxij	Oct. S. Eugenij, dup. & festum S. Cæciliæ, transfertur.
	DECEMBER.
vj	Nicolai Epis. & conf. semid. cum com. feriæ Aduentus.
vij	Ambrosij Epis. & conf. & Eccles. Doct. dup. cũ com. feriç.
* viij	Concept. B. M. Virg. dup. mai. cum com. feriæ.
ix	Leocadiæ virg. & mart. & Patronæ, dup. 1. clas. cũ com. Toleti colitur.
x	De oct. S. Leocad. cũ com. fer. & S. Melchiad. Pap. & mar.
xj	Damasi Pap. & conf. semid. cum comm. oct. & feriæ.
xij	De oct. cum comme.
xiij	Luciæ virg. & mart. dup. cum comme. oct. & fer.
xiiij	De oct. cum com. feriæ.
xv	De oct. cũ com. fer. & S. Eusebij Vercellés. Epis. & mar.
* xvj	Oct. S. Leocadiæ, dup. cum com. feriæ.
xviij	Expectatio B. M. Virg. dup. mai. cum com. feriæ.
xxx	Translatio S. Iacobi Apost. dup. mai. cũ có. oct. Natiuitat. S. Stephani, S. Ioannis, & SS. Innocentiũ, ac etiam Dominicç infra octa. Natiu. ante alias cõmemorationes, nisi de ea fiat alio die officium, vel cõmemoratio.

OFFICIA PROPRIA TOLETANÆ ECCLESIÆ, ET DIOECESIS.

IANVARIVS.

Die xxiij. Ianvarii.

IN festo Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani, Confessoris & Patroni.

Duplex primæ classis.

Si hoc festum venerit in Dominica Septuagesimæ, fit de festo cum nona lectione, & commem. Dñicæ in vtrisque Vesp. & Laud. Si verò venerit in Dñica per annum, in secundis Vesp. non fit commem. Dñicæ, propter festum Descensionis B. Mariæ.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter ea, quæ hîc sunt propria.

Oratio.

DEus, qui per gloriosissimam Filij tui matrē beatum Ildefonsum Confessorem tuum, atque Pontificem, misso de thesauris cælestibus munere decorasti: concede propitius, vt per eius preces & merita munera capiamus æterna. Per eundem Dñm.

In primis Vesp. non fit commem. SS. Vincentij, & Anastasij, nec S. Emerentianæ, nec Dñicæ præcedentis, nisi fuerit Dñica Septuagesimæ, de qua fit commemoratio.

In primo Nocturno.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio i. Cap. III.

FIdelis sermo. Si quis Episcopatum desiderat, bonū opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilē esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudiciū incidat diaboli. Oportet autem illum & testimoniū habere bonum ab his qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

℟. Euge serue bone, & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.
* Intra in gaudium Domini tui.

℣. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.
* Intra.

De Epistola ad Titum.

Lectio ij. Cap. I.

OPortet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, nō vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere: sunt enim multi etiā inobedientes vaniloqui, & seductores, maximè qui de circuncisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ nō oportet, turpis lucri gratia. ℟. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. * Ideò iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

℣. Benedictionem omnium gē-tium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Ideò iureiurando.

Lectio iij. Cap. II.

TV autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. Senes, vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter, in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes; vt prudentiam doceant. Adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudē-tes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate; verbū sanum, irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habēs malum dicere de nobis.

℟. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. * Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. * Tu es. Gloria. Tu es.

In secundo Nocturno.

Ex S. Iuliano & Cixilla Archiepis. Toletanis, atquè ex ipso B. Ildefonso lib. de viris illustr.

Lectio iiij.

ILdefonsus illustri loco Toleti natus, pijs lacrymis parentum, qui prolis desiderio tenebā-tur, à Deo datus est. A quibus ad pietatem à puero enutritus, post primæ ætatis rudimenta sapientissimis viris Eugenio tertio Toletano, atque Isidoro Hispalensi Archiepiscopis operam dedit. Quibus potissimùm institutoribus tantùm profecit, vt omnium virtutum, eximiæquè doctrinæ laude excelleret. Postea, spretis honoribus, & carnis blandimentis abiectis, in Agaliensi cœnobio habitum religionis induit tam constanter, vt ab ea mente nullis precib⁹ à patre, qui vnici filij discessū dolenter ferebat, nullis promissis, ac minis deduci potuerit. Monasterium sacrarum virginū in Dubiensi villula suis facultatibus ædificauit. In cœnobio Agaliensi ab Helladio Toletano Ar-

chiepiſcopo Leuita ordinatus eſt: breuiquè propter virtutum omnium excellentiam Abbas inuitus deligitur. Quod munus officij cum ſanctè, prudenterquè administraret, Reccesuinthi Regis voluntate, cleri, populiquè Toletani magna congratulatione in demortui Eugenij locũ Archiepiſcop⁹ deligitur. ℟ Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus.

Lectio v.

SVſceptum Epiſcopatũ ea vitæ ſanctimonia, ac morum grauitate ſuſtinuit, vt quaſi lumen quoddam cæleſte luceret in mũdo. Concionabatur aſsiduò: vigilabat ſuper cuſtodia gregis ſui: cõſolabatur mæſtos, miſeros ſubleuabat: & vt fidelis diſpenſator Domini, facultates Eccleſiaſticas liberaliter diſtribuebat pauperibus. Omne deniquè Pontificium munus cumulatè explebat, vt Paſtor re ſimul eſſet, ac nomine. Hæreticos tres aduerſus perpetuam B. Mariæ Dei genitricis virginitatem adlatrantes, eo libro, quem virgo ipſe de eius virginitate conſcripſit, per Hiſpaniam diſſeminato, primùm quidem repreſsit, deinde etiam publica diſputatione refutauit, & fractos ex vniuerſa Hiſpania exterminauit. Quod illius obſequium gratũ ſibi fuiſſe, Dei mater miraculis comprobauit: nam quinto Idus Decembris, die B. Leocadiæ ſacro, cum Reccesuinthus Rex, Epiſcopi, Regniquè primates in eius baſilicam conueniſſent, & Ildefonſus ante ſepulchrum virginis, adhuc ignotum, orans procumberet, ecce prægrandi operculo è tumulo diuinitus ſublato, cæleſti circunfuſa luce Leocadia repentè conſurgit, auguſta quadam virginis ſpecie, & ad Ildefonſum accedens proximè eximia illius in Dei matrem merita, clara, magnaquè voce teſtatur: Per te (inquit) Ildefonſe, viuit Domina mea. Cùmque ſepulchrum Leocadia repeteret, Ildefonſus, quò res tanta ad memoriam veritatis ſempiternam teſtatior fidelibus traderetur, partem veli, quo Leocadia tegebatur, Regis gladiolo diſcidit, eamquè vnà cum Regio ſimul cultello in Sacrarium intulit: quę etiam nũc Toleti religioſè ſeruatur.

℟. Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea. *Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus.

Lectio vj.

CVius rei admirationem auxit admiratione noua aliud miraculum; nam decimo quinto Kalendas Ianuarij cum Ildefonſus ad Nocturnas beatæ Mariæ preces templum peteret, eiuſquè comites ipſo in templi limine ſubito, atq; inuſitato exterriti fulgore diffugerent, ſecurus ipſe, atquè intrepidus ad aram progreſſus, in cathedra eburnea ſedētem

ſanctiſsimam Dei genitricem vidit & adorauit, ab eaq; veſte, qua in ſolemnitatibus eius vteretur, donatus eſt. Quibus diuinis Ildefonſus teſtimoniis commẽdatus, quaſi cæleſtis quidam ciuis deinceps habitus, admirationi mortalibus, ac venerationi fuit. Multa ſcripſit eruditè, ac grauiter, quibus Eccleſiam Dei illuſtrauit: ex quibus nonnulla ardẽti quodam in Virginem affectu, in eius potiſſimum laude cõſumpſit. Tandem, cùm ſediſſet in Epiſcopatu annos nouem, menſes duos, obdormiuit in Domino decimo Kalendas Februarij, anno Recceſuinthi Regis decimo octauo, ætatis verò ſuæ circiter ſexageſimo. Cuius corpus in baſilica Leocadiæ primùm conditum eſt; ſed in ea vaſtatione Hiſpaniæ, quæ à Sarracenis facta eſt, Zamoram tranſlatum, obſcuro loco in Eccleſia ſancti Petri diu incognitũ latuit, & à paſtore quodam diuinitùs admonito poſtea commonſtratum: tandem ibidem in illuſtriori loco multis nobilitatum miraculis collocatum eſt.

℟. Iſte eſt, qui ante Deũ magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt. * Ipſe intercedat pro peccatis omniũ populorũ. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. ℟. Ipſe intercedat. Gloria. Ipſe intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. V.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Ioan. Chryſoſt.

In Matth. Hom. 15.

LIberari à putredine peccatorum, Chriſti profectò virtutis eſt: vt autem non ad illam iterum reuertantur, Apoſtolorum curæ eſt, ac laboris. Vides, vt paulatim etiam Prophetis eos meliores eſſe patefaciat? Non enim illos Palæſtinæ Doctores eſſe dicit, ſed totius terræ: nec ſimpliciter Doctores, ſed & terribiles. Hoc eſt enim omnino mirabile, quòd non adulantes, nec palpantes, ſed è diuerſo, ſalis inſtar vrentes, omnibus tam deſiderabiles fuerunt. ℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum. * Et ad portas Paradiſi coronauit eũ. ℣. Induit eum Dñus loricam fidei, & ornauit eum. * Et ad portas.

Lectio viij.

NOlite ergo, inquit, mirari, ſi alios omittens, vos potiſſimùm doceo, atque ad pericula tanta traho. Conſiderate quippe quot vrbibus, & populis vos ſim miſſurus magiſtros; propterea vos non tantummodò volo eſſe ſapientes, ſed vt tales faciatis & cæteros. Huiuſmodi autem magiſtros, in quibus aliorum periclitatur ſalus, maxima decet pollere prudentia, tantaſq; illis virtutũ adeſſe diuitias, vt alijs quoque vtilitatem impertiant. Niſi

inquit,

inquit, fueritis omnino tales, ne vobis quidem ipsis sufficere poteritis.

℞. In medio Ecclesiæ aperuit os eius. ℣ Et impleuit eum Dñs spiritu sapiētię, & intellectus. ℣ Iucunditatem, & exultationē thesaurizauit super eũ. * Et impleuit. Gloria. Et impleuit.

Lectio ix.

NOlite igitur indignari, perinde ac si grauia, & ardua sint, quæ dicũtur: infatuatis enim populis per vos ad sapientiam redire posibile est. Si verò id etiam patiamini vos ipsi, vobiscum perdetis & reliquos. Itaque quantò maiorum vobis rerum cura committitur, tantò potiore indigetis & studio. Alij enim, etiam si sæpè delinquant, possunt tamen ad veniam peruenire. Si verò hoc magister ipse patiatur, omni excusatione priuabitur, & supplicia extrema persoluet. Te Deum.

Lectio sanctę Emerentianę, nõ legitur, nec de ea fit commemor. in Laudibus.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de Descensione B. Mariæ Virginis.

Capitulum. *Eccles. 24.*

AB initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac, & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Iesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor vnus, Amen.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata. ℞. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Aña.

Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles: ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuũ iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Descensionem.

Oratio.

DEus, qui salutis æternæ B. Marię virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti: tribue quęsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum

Iesum Christum filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Deinde fit commem. S. Ildefonsi, Aña Amauit eum Dominus, & ornauit eum, stolam gloriæ induit eum, & ad portas paradisi coronauit eum.

℣ Iustum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui per gloriosissimam filij tui matrem B. Ildefonsum confessorem tuum, atquè Pontificem, misso de thesauris cælestibus munere decorasti: concede propitius, vt per eius preces & merita munera capiamus æterna. Per eundem Dom.

Festum S. Timothei transfertur post Octauam S. Ildefonsi, in primam diem simili festo non impeditam.

Si festum S. Ildefonsi venerit in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, Vesperæ dicuntur integræ de S. Ildefonso cum cõmemorat. Dominicæ, & dicitur Benedicamus Domino, cum duplici Alleluia, & festum Descensionis transfertur, vt infrà dicitur.

DIE xxiiij. IANVARII.

Descensio Beatæ Mariæ, virginis, duplex 2. classis. Si hoc festum venerit in Dominica per annum, fit de festo cum nona lectione, & commemorat. Dominicę in vtrisque Vesperis & Laudibus. Si verò venerit in Dominica Septuagesimæ, transfertur in feriam quintam sequẽtem cum nona lectione, & commemorat. S. Agnetis secundò, ad Laudes tantùm: & tunc in die sancti Ioãnis Chrysostomi dicuntur Vesperæ de Descensione, Aña. Dum esset Rex. cum reliquis de Laudibus. Psalmi de B. Maria, Cap. & alia, vt suprà in primis Vesperis cum commemorat. S. Ioannis Chrysostomi tantùm.

Ad Matutinum. Inuit.

Sancta Maria, Dei genitrix virgo. ℟. Intercede pro nobis.

Psalmus: Venite exultemus.

Hymnus. Quem terra. Aña. & Psalmi Nocturnorum, vt in eius officio paruo.

In primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende prosperè, procede, & regna.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. VIII.

EGo sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationib⁹. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor, Meum est consilium, & æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ego diligẽtes me diligo: & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.

℟. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio. * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, &

bene

benedictus fructus ventris tui * Quia quem cæli.

Lectio ii.

MEcum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. Melior est enim fruct⁹ meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo. In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquã faceret à principio. Ab æterno ordinata sum: & ex antiquis antequam terra fieret. Non dum erant abyssi, & ego iã concepta erã. Necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar.

℞ Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cùm essem paruula, placui Altissimo. * Et de meis visceribus genui Deum, & hominem. ℣ Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Et de meis.

Lectio iij.

BEatus homo qui audit me & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ędificauit sibi domum, excidit columnas septẽ, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suã: misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis: si quis est paruulus, veniat ad me; & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.

℞ Beata es, virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi. * Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣ Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum. * Genuisti. Gloria. Genuisti.

IN II. NOCTVRNO.

℣ Adiuuabit eam Deus vultu suo. ℞ Deus in medio eius, non commouebitur.

Lectio iiii.

Ex Cixilla Archiepisc. Toletan. In vita S. Ildefonsi.

CVm B. Ildefonsus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus hęreticos quosdam, perpetuam Dei matris virginitatem labefactare conantes vi veritatis cõuictos ex vniuersa Hispania depulisset, tãta fuit sacratissimæ Virginis in seruum suum Ildefonsum benignitas, vt hoc eius studium illustri miraculo comprobauerit. Incarnationis enim Filij eius festo, qui die decimoquinto Kalendas Ianuarij per vniuersam Hispaniam ex decimi Concilij Toletani decreto celebratur, nocte intempesta descendit de cælo sanctissima Virgo virginum, & Angelorum comitata choris, & in cathedra, vnde Ildefonsus ad populum verba facere consueuerat, diuina quadam, & omnem captum excedente forma, ac sole splendidior consedit, vniuerso templo suauissima ineffabilis

odoris fragrãtia, & cælestis luminis magnitudine completo.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in mõte Sion. Quasi myrrha electa. * Dedi suauitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum, & balsamũ aromatizans. * Dedi.

Lectio v.

QVò Ildefonsus ad nocturnas preces de more veniens, comitibus, perterritis, & pauore dilapsis, ipse rei quidem nouitate initio perculsus, sed deinde spe erectus, & deuotæ mentis humilitate securus, gaudio simul ac reuerentia tremens, humi sese ante pedes Virginis supplex abiecit: quem sic affata Virgo est: Propera in occursum, serue Dei, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauris Filij mei tibi attuli. Et simul hæc dicens, vestem Ildefonso induit cælesti opificio contextam: & Virgo quidem, his dictis, redijt in cælum: Ildefonsus verò, & mirifica visione Deo plenus, & pretioso dono fuit cunctis deinceps ordinibus, ac gentibus venerãdus. Quo quidem dono in solemnioribus B. Mariæ Virginis sacris interdum est vsus. ℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, & formosa tamquam Ierusalem? * Viderunt eã filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudauerunt eam. ℣. Et sicut dies verni, circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. * Viderunt.

Lectio vj.

EXtat hoc ipso in templo lapis, in quo vetusta maiorum traditione, ac veneratione constat, Mariam descendentem vestigio constitisse. Atque vt huius tanti beneficij memoriam nulla vnquam iniuria temporum, aut obliuio deleret, Toletana Ecclesia in stemmatibus illam suis, atque insignibus vbique repræsentat. Annuã præterea celebritatem ad eam rem instituit, quæ, quòd ipse dies quo Virgo descendit, in Dominicæ Incarnationis commemoratione sit occupatus, in nonum Kalendas Februarij, qui dies est à morte Ildefonsi proximus, translata est: vt ex mutua vtriusque solemnitatis coniunctione sanctissimi Patris natalis dies splẽdidior esset. Quo item die (vt memoriæ proditũ est) vrbe Regia longo post tempore è Sarracenis recepta, cùm Bernardus Archiepiscopus Reginæ Cõstantiæ opera templum maximum, absente Rege, contra pacta cũ Mauris inita, ex Mesquita Ecclesiam Dei reddidisset, grauiter id ferentibus Mauris, diuinitus tandem placatis, huic festo Pacis nomen inditum est.

℟. Ornatã monilibus filiam Ierusalem Dominus concupiuit. * Et videntes eam filiæ Sion beatissimam prædicauerunt, dicentes: * Vnguentum effusum nomen tuum. ℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate. * Et vidẽtes. Gloria. * Vnguentum.

In tertio Nocturno.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio S. Euang. secūdùm Lucā.
Lectio vij. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Pastores loquebantur ad inuicem; Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factū est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinātes. Et reliqua.

Homilia S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani.
Lib. de Virginit. Mariæ.
CAP. VI.

VAticinantium ad hoc summa porrecta est, vt de Spiritu sancto, & Maria semper virgine fieret hoc verbum caro: fieret Deus homo; fieret humanū, quod erat diuinum: non diminutione Deitatis, non interitu æternitatis, non commutatione incommutabilis veritatis: sed assumptione carnis, sed participatione hominis, sed societate humanitatis: sicque in vnione personæ idem sit verbum, qui caro: idem sit homo, qui Deus: idem sit in quo diuinitas, & in quo humanitas est.

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, * Quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Descensionem. * Quia ex te.

Lectio viij.

AC per hoc iuxta Hieremiā, ipse vnus Christus sit Deus, qui inuenit omnem viam prudētiæ, qui & cum hominibus conuersatus est homo. Iuxta Psalmistam, ipse sit homo in Sion natus, qui fundauit eam Deus. Deus excelsus iuxta Isaiam, qui dicit: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est. Ipse sit homo, in cuius humanitatis aspirationibus diuinitatis eius spiritus est: qui sit & Deus, qui est reputatus excelsus.

℟. Beatam me dicent omnes generationes. * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. ℣. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. * Quia fecit. Gloria Patri. * Quia.

Si festum Descensionis transferatur, nona lectio erit de S. Agne secundò, vt in Breuiario die xxviij. Ianuarij: alioquin dicatur sequens.

Lectio ix.

IVxta Dauid, ipse sit Dominus Deus, ad quem loquitur Dominus Deus, ipse sit homo, qui sedet à dextris Dei. Iuxta Isaiā, ipse sit homo, qui paruulus natus est nobis: qui sit & Deus, qui filius Dei datus est nobis. Iuxta Psalmistam, ipse sit Deus, cui dicitur: Sedes tua Deus in sæculum sæculi: qui sit & homo, qui per exultationis oleum sancto Spiritu dicitur vnctus. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.

Psalm. Dominus regnauit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Læua eius sub capite meo,

& dextera illius amplexabitur me.

Aña Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.

Aña Iam hiems transijt, imber abijt, & recessit: surge amica mea & veni.

Aña Speciosa facta es, & suauis in delicijs tuis, sancta Dei genitrix.

Capitulum. *Eccles.* 24.

AB initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministraui.

Hymnus.

O Gloriosa Domina,
Excelsa super sidera,
Qui te creauit prouidè,
Lactasti sacro vbere.
Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent vt astra flebiles
Cæli fenestra facta es.
Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum

Ad Benedictus. Aña.

Beata es Maria, quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Alleluia.

Oratio.

DEus qui salutis æternæ, B. Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsum⁹, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrũ Iesum Christum filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Et non fit commemor. Octauæ S. Ildefonsi.

Si hoc festum Descensionis transferatur, fit commemor. S. Agnetis secundò ad Laud. & non de Octau.

Ad tertiam, Aña. Læua eius. Capitulum. Ab initio, upr. ℟. breu. Specie tua. Et pulchritudine tua, ℟. Specie. ℣. Intende prosperè, procede & regna. *, & pulchritudine tua. Gloria. ℟. Specie tua. ℣ Adiuuabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio eius, non commouebitur.

Ad Sextam, Aña. Nigra sum

Capitulum. *Eccles.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalẽ potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. breu. Adiuuabit eam. *Deus vultu suo. ℟. Adiuuabit. ℣. De⁹ in medio eius, non commouebitur. *Deus vultu.

Gloria Patri. ℟. Adiuuabit.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

ad Nonam, Aña. Speciosa.

Capitulum. *Eccles.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.

℟. breu. Elegit eam Deus. * Et prçelegit eam. ℟. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit.

Gloria Patri. ℟. Elegit. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In secundis Vesperis. Aña. Dum esset Rex, cum reliquis de Laudibus, Psalmi de Beata Maria. Cap. Hymn. & Vers. vt in primis Vesperis. fol. 7.

Ad Magnificat, Aña.

Beatam me dicent omnes generationes: quia ancillam humilem respexit Deus.

Oratio. Deus, qui salutis æternæ, vt sup. in Laud.

Deinde fit comme. Conuersionis S. Pauli. Aña. Vade Anania, & quære Saulum: ecce enim orat: quia vas electionis est mihi, vt portet nomen meũ coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.

℣. Tu es vas electionis S. Paule Apostole. ℟. Prædicator veritatis in vniuerso mundo.

Oratio.

DEus, qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt qui eius hodie cõuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur.

Postea fit commemora. S. Petri. Aña. Tu es pastor ouiũ Princeps Apostolorũ, tibi traditæ sunt claues regni cælorũ. ℣. Tu est Petrus. ℟. Et super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam.

Oratio.

DEus, qui B. Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cælestis, ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti: cõcede, vt intercesionis eius auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui viuis, & regnas.

Et non fit commem. S. Ildefonsi.

Si festum Conuersionis transferatur propter Dominicam Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, in secundis Vesper. Descensionis, fit commem. Dominicæ sequentis, & non de Octaua.

Quando festũ Descensionis contingat transferri, in secũdis Vesp. fit comme. Oct. Aña. Amauit eũ Dominus. ℣. Iustũ deduxit Dominus. Oratio. Deus, qui per gloriosissimam, vt supr. in secundis Vesperis. fol. 6.

DIE XXV. IANVARII.

Fit de Conuersione S. Pauli Apostoli, duplex maius, vt in Breuiario, cum comme. S. Petri, & Octauę S. Ildefonsi.

In secundis Vesperis fiat etiam commem. sancti Petri, sancti Polycarpi, & Octauę.

Si festum Conuersionis venerit in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, transfertur in feriam quartam sequentem; cum nona lectione & commemorat. S. Agnetis secundò: & tunc in die sancti Ioannis Chrysostomi dicuntur Vesperæ integrę de Conuersione sancti Pauli cum

commemorat. sancti Petri, sancti Ioannis Chrysostomi, Octauæ sancti Ildefonsi, & sanctæ Agnetis: & in secundis Vesperis fit commem. sancti Petri & Octauæ.

DIE XXVJ. IANVARII.

Fit de S. Polycarpo Episcop. & Martyr. semidup. vt in Breuiario, cum commemorat. Octauæ sancti Ildefonsi.

Vesperæ de S. Ioanne Chrysost. cum commem. sancti Polycarpi, & Octauæ.

Si festum sancti Polycarpi venerit in Dominica, transfertur post Octauam sancti Ildefonsi, in primam diem simili festo non impeditam.

DIE XXVIJ. IANVARII.

Fit de sancto Ioanne Chrysostomo Episcopo & Confess. duplex, vt in Breuiario, cum commem. Octauæ S. Ildefonsi.

In Laudibus pro sancto Ildefonso. Aña Sacerdos, & Pontifex. ℣ Amauit eum Dominus Ex primis Vesperis.

In secundis verò, Aña. Amauit eum Dominus.

℣ Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi. ℟ Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio. Deus, qui per gloriosissimam, vt in d. e. Et fit commem. sanctæ Agnetis secundò, vt in Breuiario.

Si festum sancti Ioannis venerit in Dominica Septuagesimæ, transfertur in feriam secundam sequentem cum comme. Octauæ, & nona lect. & commem. S. Agnetis secundò. Si verò venerit in Dominica Sexagesimæ, transfertur in feriam tertiam sequentem, cum commem. Octauæ: & tunc in secundis Vesp. SS. Fabiani, & Sebastiani (de quibus fit officium in feria secunda propter Dominicam Septuagesimæ, vnde fuerunt translati) à Capitulo fit de sancto Ioanne, cum commem. SS Fabiani, & Sebastiani, & Octauæ, & in secundis Vesper. S. Ioannis, à Capitulo fit de die octauo sancti Ildefonsi, vt in primis Vesperis festi cum commemorat. sancti Ioannis.

DIE XXVIIJ. IANVARII.

Sexta die infra Octauam S. Ildefonsi, fit de Octaua cum nona lectione, & commemorat. sanctæ Agnetis secundò, nisi transferantur in hunc diem festa SS. Fabiani, & Sebastiani, Descensionis B. Mariæ, Conuersionis sancti Pauli, vel sancti Ioannis Chrysostomi, quia tunc fit de eis, vt dictum est in proprijs diebus.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Hilarij Episcopi.

Lib. 8. de Trinitate, in principio.

Lectio iiij.

BEatus Apostolus Paulus formam constituendi Episcopi figens, & planè nouum Ecclesiæ hominem præceptis suis condés, hanc veluti summam consummatarum in eo virtutum esse docuit, dicens: Obtinentem secundùm doctrinam fidei verbum: vt potens sit exhortari ad doctrinã sanam, & contradicentes reuincere. Sunt enim multi non subditi, vaniloqui, & seductores. Ita

enim quę propria disciplinæ, ac morum sunt, ad Sacerdotij meritum vtilia esse significat: si etiam hæc, quę ad docendæ, ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt: quia non statim boni, atque vtilis Sacerdotis est, aut tantummodò innocenter agere, aut tantummodò scienter prædicare: cùm & innocens sibi tantùm proficiat, nisi doctus sit, & doctus sine doctrinę sit auctoritate, nisi innocēs sit. ℟. Inueni Dauid. fol. 3.

Lectio v.

NOn enim Apostolicus sermo, probitatis, honestatisquè præceptis, hominem tantùm sæculo conformat ad vitam: nec rursum per doctrinæ scientiam Scribam Synagogæ instituit ad legem, sed perfectum Ecclesiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit: vt & vita eius ornetur dicēdo, & doctrina viuendo. Denique ipsum illū, ad quem ei sermo erat, Titum istiusmodi decreto consummandę Religionis instruxit: In omnibus te ipsum bonorum factorum præbe exemplum, docentem cum veneratione verbum sanum, irreprehēsibile: vt aduersarius reuereatur, nihil habens turpe, aut malū de nobis dicere. ℟. Posui adiutorium. fol. 3.

Lectio vj.

NOn ignorauit doctor hic gentium, & ex conscientia loquentis, atque habitantis in se Christi, Ecclesię electus magister, morbidi eloquij grassatura esse contagia, & aduersus sanitatem verborum fidelium desæuituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ virus, vsque ad ipsam sedem animæ demergens, profundo serperet malo. Ex his enim ait, quorum sermo vt cancer serpit, latenti semper, surrepentiquè contagio sanitatem persuasæ mētis inficiens: ob quod sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinam, fidei consciētiam, & exhortationum scientiam aduersum impios, & mendaces, & vesanas contradictiones obtinentem. ℟. Iste est, qui ante Deum. fol. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. V.

IN illo tempore, dixit Iesus Discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & cōculcetur ab hominibus. Et reliq.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib.1.de serm.in monte, Cap. XII.

NEquè accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio. Quid putamus, ita esse dictum, sub modio, vt occultatio tantùm lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret: Nemo accendit lucernam, & occultat illam? An aliquid etiam modius significat, vt hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis cōmoda, quàm prædicationem veritatis? Vt Ideò quisquè, veritatem non prædicet, dum timet, ne

aliquid in rebus corporalibus, & temporalibus molestiæ patiatur.

℟. Amauit eum, fol 4.

Lectio viij.

ET bene modius dicitur, siue propter retributionem mensuræ, qua quisque recipiet, quæ gessit in corpore: vt illic inquit Apustolus: Recipiet vnusquisquè quæ gessit in corpore. Et tãquam de hoc modio corporis alio loco dicitur: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Siue quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum mensura & inchoãtur, & transeunt: quam fortè significat modius. Æterna verò, & spiritualia nullo tali fine coarctentur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

℟. In medio Ecclesię. fol. 5.

Lectio nona de S. Agnete secundò, vt in Breuiario, & fit de ea commem. in Laudibus.

DIE XXIX. IANVARII.

Septima die intra Octauam sancti Ildefonsi fit de Octaua, nisi transferatur in hunc diem festum principale S. Agnetis, vel sancti Ioannis Chrysostomi, quia tunc fit de eis cum commemora. Octauæ, & in secundis Vesperis à Capitulo fiet de die octauo sancti Ildefonsi, vt in primis Vesperis festi, cum commemor. de festo duplici præcedenti.

In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrente.

In secundò Nocturno.

Sermo sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis.

Libro 3. Sententiarum.

CAP. XLV.

Lectio iiij.

QVibus docendi forma commissa est, multum subeunt periculi, si contradicentibus veritati resistere voluerint: dũ Propheta Doctoré Ecclesiæ instruat ad summum vsq; iustitię peruenire, cùm dicit: Super mõtem excelsum ascende tu, qui euangelizas Siõ, scilicet, vt ita præemineat merito, sicut & gradu. Sequenter ne fortè debeat à docendo timore restringi, audiat: Exalta in fortitudine vocem tuam, & noli timere. Vnde & Ieremiæ ita Dñs ait: Accinge lumbos tuos, & surge: loquere ad eos: ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorũ. Vnde apparet, quia & non timere, donũ Dei est. Qui personã potentis accipit, & veritatem loqui pertimescit, grauis culpæ mulctatur sentẽtia.

℟. Inueni Dauid. 3.

Lectio v.

MVlti enim Sacerdotes metu potestatis veritaté occultant: & habentur rei, qui à bono opere, vel iustitiæ prædicatione rei alicuius formidine, aut potestate terrente, auertuntur. Sed heu, proh dolor, inde metunt, quia vel amore rerum sæculariũ implicãtur, vel quia aliquo facinoris opere confundantur. Multi Præsules Ecclesiarum, timentes ne amicitiam sæcularium perdãt, & molestiam odiorum incurrãt, peccantes non arguunt, & corripere pauperum oppressores verentur: non pertimescentes, quòd

de veritate sint reddituri rationē, pro eo quod conticescunt de plebibus sibi commissis.

℞. Posui adiutorium. 3.

Lectio vj.

QVando à potentibus pauperes opprimuntur, ad eripiēdos eos boni Sacerdotes protectionis auxilium ferunt: nec verentur cuiusquam inimicitiarum molestias: sed oppressores pauperum palàm arguunt, increpant, & excommunicant, minusq; metuūt eorū nocendi insidias, etiam si nocere valeāt. Pastor enim bonus animam suam ponit pro ouibus, sicut peruigil pastor contra bestias oues custodire solet: ita & Dei Sacerdos super gregem Christi solicitus esse debet, ne inimic⁹ vastet: ne persecutor infestet: ne potentioris cuiuscumque cupiditas vitam pauperum inquietet. Praui autem pastores non habēt curam de ouibus: sed, sicut legitur in Euangelio de mercenarijs, vident lupum venientem, & fugiunt. Tunc enim fugiunt, quando potentibus tacent, & malis resistere metuunt.

℞. Iste est, qui ante Deum. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. CAP. V.

IN illo tēpore, dixit Iesus Discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilū valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 1. Serm. in Monte. CAP. XII.

SVb medio ergo lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat, & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus suū ministerio Dei subijcit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis: per ipsam tamē corporis seruitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est, per vocem, & linguam, & cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur etiam discentibus.

℞. Amauit eum Dominus. 4.

Lectio viij.

SVper candelabrum ergò ponit lucernam, cùm dicit Apostolus: Non sic pugno, tamquam aerem cædens: sed castigo corpus meū, & seruituti subijcio: ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus inueniar. Quòd verò ait, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, domum puto dictam habitationem hominum, id est, ipsum mūdum: propter id, quod superiùs ait: Vos estis lumen mūdi. Aut si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum.

℞. In medio Ecclesiæ. 5.

Lectio ix.

SIc luceat, inquit, lumen vestrum corā hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Si tātummodò diceret: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videāt bona facta vestra, finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, & qui ambiunt

honores, & captant inanissimam gloriam: contra quos dicitur: Si adhuc hominibus placeré, Christi seruus non essem. Et per Prophetam: Qui hominibus placent, confusi sunt: quia Deus nihil fecit illos.

Te Deum laudamus.

Vesper. de Octaua sancti Ildefonsi, **duplex.** Omnia dicuntur vt in primis Vesp. festi.

Si dies Octaua S. Ildefonsi venerit in Dominicis Septuagesimæ aut Sexagesimæ, fit officium de Dominica hoc modo. Ad Vesperas Sabbati.

Aña. Ecce Sacerdos magnus, cũ reliquis Antiphonis, & Psalmis, vt in primis Vesper. de communi Confess. Pontif. & non duplicantur Antiphonæ, quia fit officium semiduplex, & à Capitulo fit de Dominica, cum commemoratione Octauæ. Aña. Sacerdos, & Pontifex. ℣. Amauit eum Dominus. Oratio. Deus, qui per gloriosissimam. Et tunc non fiunt suffragia sanctorum, nec dicuntur preces ad Completoriũ, propter Octauam.

Sequenti die fit de Dominica prædicta, cum comme. Octa. in Laud. & secundis Vesp. & non dicuntur suffragia, nec preces ad Primam & Complet.

Die xxx. Ianuarii.

In Octaua sancti Ildefonsi, **duplex.** Omnia dicuntur sicut in die, præter Lectiones primi Nocturni, quæ leguntur de Scriptura occurrenti, & secundi, & tertij, quæ leguntur vt infrà.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Festo S. Malachiæ Episcop.

Lectio iiii.

COngratulemur, fratres, congratulemur, vt dignum est, Patri nostro Ildefonso: quia, & pium est, defunctum plangere; & pium magis, congaudere viuenti. Nunquid non viuit? Et beatè. Nimirum visus est oculis insipiẽtium mori, ille autem est in pace. Denique iam conciuis sanctorum, & domesticus Dei psallit pariter, & agit gratias dicens: Trãsiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigeriũ. Transiuit planè viriliter: & feliciter pertransiuit. Transiuit per ignẽ, & aquam, quem neque tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt.

℟. Inueni Dauid. fol. 3.

Lectio v.

LÆtemur, quòd Angelus noster ascẽdit ad ciues suos, pro filijs captiuitatis legatione fungens: corda nobis concilians beatorum: vota illis intimans miserorum. Lætemur, inquam, & exultemus, quia cælestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostri, qui suis nos protegat meritis, quos informauit exẽplis, miraculis confirmauit, Sanctus Põtifex, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas cælis frequenter inuexerat, hodie per semetipsum introiuit ad altare Dei, ipse hostia, & Sacerdos.

℟. Posui adiutorium. *fol.* 3.

Lectio vi.

BEnedictus Dominus Deus, qui tanti Põtificis ministerio

visita

visitauit plebem suam: & nunc, assumpto eo in sanctá ciuitatem, tátæ recordatione suauitatis nostram non desinit consolari captiuitaté. Exultet in Domino eius spiritus, quòd leuatus pondere corporeæ molis, nulla iá fœculéta, vel terrena materia prægrauatur, quominus tota alacritate, ac viuacitate corpoream omnem, & incorporeá transiés creaturá, pergat totus in Deũ: & adhæres illi, vnus sit cum eo spiritus in æternũ. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantæ frequentatur memoria sanctitatis.

℟. Iste, est qui ante Deum. fol. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo tépore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

De Homilia Sancti Augustini Epicopi.

Lib. 1. serm. in Monte.

Cap. XIII.

NOn tantùm dixit: Vt videát bona opera vestra: sed addidit: & glorificent Patré vestrum, qui in cælis est: vt hoc ipsum, quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat, vt hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem Dei: propterea placeat hominibus, vt in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, vt non hominem, sed Deum honorent: sicut in ipso homine, quem portabat, Dominus ostendit: vbi admiratæ sunt turbæ, paralytico sanato, virtutes eius, sicut in Euangelio scriptum est: Timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

℟. Amauit eũ Dominus. fol. 4.

Lectio viij.

POsteaquàm ergo cohortatus est audiétes, vt se præpararét ad omnia sustinenda pro veritate, atque iustitia, & non absconderent bonum, quod accepturi erant, sed ea beneuolentia discerent, vt cæteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona opera sua referentes, incipit eos iam informare, & docere, quid doceant. Tamquam si quærerent, dicentes: Ecce volumus omnia sustinere pro tuo nomine, & doctrinam tuam non abscondere. Sed quid est hoc ipsum, quod vetas abscondi, & pro quo iubes omnia tolerari? Numquid aliud dicturus es contra ea, quæ in lege scripta sunt? Non, inquit.

℟. In medio Ecclesiæ. fol. 5.

Lectio ix.

NOlite enim putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere sed adimplere. In hac enim sententia sensus duplex est. Secundùm vtrumque tractandum est. Nam qui dicit: Non veni soluere legem, sed adimplere, aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet: Illud ergo priùs consideremus, quod

primò posui. Nã qui addit, quod minus habet, non vtique soluit quod inuenit, sed magis perficiẽdo cõfirmat: & ideò sequitur, & dicit: Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Te Deum laudamus.

In secundis Vesp. fit comm. de festo semiduplici in diem sequẽtem translato, vel de Dominica, si sequatur.

Die xxxj. Ianvarii.

In hunc diem possunt transferri festa S. Hilarij. SS. Vicentij, & Anastasij, vel S. Timothei: & tunc in secundis Vesper. S. Timothei mutetur Oratio, Infirmitatem, in aliam de communi, scilicet, Deus qui nos beati, quia Oratio, Infirmitatem, dicta est iam in huiusmodi Vesper. pro S. Ignatio.

FEBRVARIVS.

Die xij. Februarii.

Translatio prima S. Eugenij, Archiepiscopi Toletani, & Martyris, duplex.

Omnia vt in communi vnius Martyris, præter ea, quæ hic sunt propria.

Si hoc festum venerit in Dominica, à Septuagesima vsque ad Dominicam primam Quadragesimæ, vel in feria quarta Cinerum, transfertur in sequentem diem.

Oratio.

Propitiare, quęsumus Domine, nobis famulis tuis per S. Eugenij Martyris tui, atque Pontificis, cuius Translationem colimus, merita gloriosa: vt eius pia intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis. Per Dominum nostrum.

In quadragesima fit commemor. feriæ occurrentis in vtrisque Vesperis & Laudibus.

In primo Nocturno Lectiones de Actibus Apostolorũ. A Mileto, vt in eius festo xv. Nouembris.

In secundo Nocturno.

Ex Breuiarijs Toletanis, & historijs antiquis.

Lectio iiij.

Evgenij Martyris, primique Toletani Episcopi brachiũ è cœnobio S. Dionysij Areopagitæ, quod ad Lutetiam Parisiorũ est, delatum est Toletum, Alfonso Septimo Castellæ, ac Legionis Rege, qui Imperator cognominatus est, & Ioanne Archiepiscopo Toletano, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo sexto, pridie Idus Februarij. Nam cùm Raymundus Toletanus Archepiscopus ad Conciliũ Remense ab Eugenio Tertio coactum profectus, in tẽplum diui Dionysij religionis gratia aliquãdo diuertisset, cunctaq; eius adita, & sacra loca piè viseret, in sacrosanctum diui Eugenij prædecessoris sui corpus, Hispanis tunc ignotũ, incidit. Quod multis illustre miraculis magna ab incolis veneratione colebatur.

℟. Honestum fecit illum, cum cæteris Resp. vt in die S. Martyrij xv. Nouemb.

Lectio v.

RAymundi admonitu Alfonsus Rex, vt sanctissimo Præsuli, qui Hispanos Euangelij luce perfuderat, debitus honos deferretur, à Ludouico Septimo Galliæ Rege magnis precibus contendit, vt aliquam Eugenij corporis partẽ sibi donaret. Ludouicus verò, & gener, & liberalis, & propẽsus ad pietatem, brachium Eugenij dextrum Alfonso Regi socero per Abbatem ipsum Cœnobij sancti Dionysij honorificentissimè misit. Quòd munus Alfonsus quasi de cælo missum accipiens, cum filijs solemni pompa suis ipse humeris religiosè circumtulit: honorans in seruo Dominum, Christum in carne pro Christo afflicta, in sancto illum, qui totius sanctitatis fons est: atque in templo Toletano Eugenij brachium magnificè collocauit; vbi etiam nunc seruatur magna veneratione.

℟. Desiderium animæ eius.

Sermo sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani.

Lectio vj

Ex libro Prognosticon.

Cap. XVIII.

NOn contemnenda, nèc abijcienda sunt corpora defunctorum, maximèque iustorum, atq; fidelium: quibus tamquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid huiusmodi, in tantum posteris charum est, in quantum erga parentes maior affectus est, quantò magis nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique tantò coniunctiùs, atque familiariùs, quàm qualibet indumẽta gestamus? Ac proinde quidquid humano corpori impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectum, quo nemo vmquam carnẽ suam odio habet. Vnde oportet, vt quam potest, pro carne proximi curam gerat: cùm ille inde recesserit qui gerebat.

℟. Stola iucunditatis.

In tertio Nocturno hom. S. Augustini in Euangelium. Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti, vt in eius die festo xv. Nouemb.

Si venerit in Quadragesima, nona lectio erit de homil. feriæ occurrentis.

Die xviij. Febrvarii.

In festo sancti Hellad. Archiepisc. Toletani, & Confessoris, semiduplex.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter ea, quæ hic sunt propria cum nona lect. & comm. S. Simeonis in primis Vesperis, & Laudibus, vt in Breuiario.

Si hoc festum venerit in Quadragesima, nona lectio legitur de homil. feriæ occurrentis, & de ea fit commem. ante comm. S. Simeonis: & si venerit in feria iiij. Cinerum, transfertur in diem sequentem.

Oratio.

TRibue, quæsumus, omnipotens Deus, ita nos B. Helladij Confessoris tui, atque Pontificis solemnitatibus gloriari: vt

pietatem, quam suo exemplo docuit, eiusdem intercessione fidelius exerceamus. Per.

In primo Nocturno leguntur lectiones de Scriptura occurrenti: quod si venerit in Quadragesima, dicatur. Fidelis sermo, vt in festo S. Ildefonsi, cũ suis Resp. fo[illegible].

In secundo Nocturno.

Ex S. Ildefonso libro de Viris Illustribus, Cap 7.

Lectio iiij.

HElladius, post Aurasium Sedis eius adeptus est locum. Hic, cùm Regiæ aulæ illustrissimus, publicarumquè rector existeret rerum, sub sęculari habitu monachi, votũ pariter explebat, & opus. Nam ad monasteriũ nostrum (illud Agaliense dico) cuius me susceptio monachum tenuit, quod munere Dei, perennisq; ac patentis sanctitatis decore, & opinabile cunctis, & palàm est totis, cùm sępè discursantium negotiorum ductus itinere perueniret, remota clientum, sæculiq; pompa decoris, adeò monachorũ peculiaritatibus inhærebat, vt turmis iunctis, stipularum fasciculos ad clibanum deportaret.

℟. Inueni Dauid, vt in festo S. Ildefonsi. fol. 3.

Lectio v.

CVmquè inter decorem, insolentiamquè sæculi, solitudinis & amaret, & sectaretur arcana; celeri fuga relictis omnibus, quæ esse nouerat mundi, adijt sanctum monasterium, quod frequentauerat voto, venit permansurus optabili vsui, ibi factus monachis pater, meritis, studijsq; sanctis, & vitam monachorũ debitè rexit, & statum monasterij totius communis rei diuitias cumulauit. Ex hoc, fessis senio artubus, ad Pontificatus apicem euocatur, & quia vocaretur, vi coactus, pariter & ignotus, illic maiora virtutum exẽpla, quàm monachus dedit: quia statũ mundi, quem contempsit virtute, magna perhibetur rexisse discretione.

℟. Posui adiutorium. fol. 3.

Lectio vj.

MIserationes, eleemosynarumquè copias tam largiter egenis intulisse probatur, ac si de illius stomacho putasset inopum ad artus descendere, & viscera confoueri. Scribere renuit, quia quod scribendum fuit, quotidianæ operationis pagina demonstrauit. Me ad monasterium rediens memoratum, vltimo vitę suæ tempore Leuitam fecit. Temporibus Sisebuthi, Suintilani, & exordijs Sisenandi Regum beatus habitus fuit, qui post beatior gloriam cælestis regni bona plenus senectute promeruit.

℟. Iste est, qui ante Deum. fol. 4.

In tertio Nocturno homil. in Euangelium: Vos estis sal terræ, de communi Doctor. ℟. vij. Amauit eum Dominus. ℟. viij. Sint lumbi vestri præcincti.

M A R T I V S

Die j. Martii.

In festo sancti Angeli Custodis, duplex maius.

Si hoc festum venerit in Dominica

minica Quinquagesimæ, vel in feria quarta Cinerum, aut in Dominicis Quadragesimæ, transfertur in diem sequentem.

Ad Vesperas, Aña.

Angelis suis, cum reliquis, de Laudibus. Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, & loco vltimi Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Exod. Cap. 23.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum, quem præparaui: obserua eum, & audi vocem eius.

Hymnus.

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cælestis comites: insidiantibus
Ne succumberet hostibus.
Nam quòd corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus,
Ardens inuidia pellere nititur,
Quos cælo Deus aduocat.
Hùc custos igitur peruigil aduola,
Auertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quàm requiescere,
Quidquid non sinit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia iugiter,
Cuius perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur: cuius in omnia
Regnat gloria sæcula. Amen.

℣. In cõspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat, Aña.

Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Oratio.

Deus, qui ineffabili prouidẽtia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis: & eorũ semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum.

In Quadragesima fit commem. feriæ in vtrisque Vesp. & Laud.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem Angelorum Dominum.
* Venite adoremus. Psalm.
Venite exultemus. Hymn.
Custodes hominum, vt in Vesp.

In primo Nocturno.

Aña. Dñs Deus cæli, & terræ, ipse mittet Angelum suum corã te.

Psalmus.

Domine, Dominus noster: quàm admirabile est nomẽ tuum in vniuersa terra!

Quoniam eleuata est magnificẽtia tua: super cælos.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum, & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam & Stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum: & constituisti eum super operamanuum tuarum.
Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi.
Volucres cęli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.
Domine, Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!
Aña. Dominus Deus cæli, & terræ, ipse mittet Angelum suum, coram te.
Aña. Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum: & non nocuerunt mihi.

Psalmus.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra: vt sagittent in obscuro rectos corde.
Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: iustus autem quid fecit?
Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes eius.
Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.
Dominus interrogat iustum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.
Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur: & spiritus procellarum pars calicis eorum.
Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.
Aña. Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.
Aña. Bene ambuletis, & Dominus sit in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

Psalmus.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?
Qui ingreditur sine macula: & operatur iustitiam.
Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.
Nec fecit proximo suo malum: & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.
Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.
Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.
Qui facit hæc: non commouebitur in æternum.
Aña. Bene ambuletis, & Dominus sit in itinere vestro: & Angelus eius comitetur vobiscum.
℣. Stetit Angelus iuxta arã templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. XXIII.

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via: & introducat in locum, quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris: & est nomẽ meum in illo. Quòd si audieris vocẽ eius, & feceris omnia,

quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. * In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.

℣. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. * In manibus.

Ex Zacharia Propheta.

Lectio ij. Cap. I.

FActum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo Prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi. Et dixi: Qui sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus Domini, qui loquebatur in me: Ego ostēdam tibi, quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram. Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram; & ecce omnis terra inhabitatur, & quiescit.

℟. Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum. * Vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?

℣. Iste iam septuagesimus annus est. * Vsquequò.

Lectio iij.

ET leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum, & dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam, quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur. Et Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eū: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.

℟. In conspectu gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate, & timete Dominū. * Angelus enim eius vobiscū est.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. * Angelus enim. Gloria Patri.

* Angelus enim.

In secundo Nocturno.

Aña. Cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate ei.

Psalmus.

CÆli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terrę verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus

procedens de thalamo suo.
E xultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius.
E t occursus eius vsque ad summum eius: nec est, qui se abscondat à calore eius.
L ex Domini immaculata, conuertens animas: testimoniũ Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.
I ustitię Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.
T imor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.
Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multũ: & dulciora super mel, & fauum.
E tenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.
D elicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo.
S i mei non fuerint dominati, tũc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.
E t erunt, vt complaceãt eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
D omine adiutor meus, & redẽptor meus.
Añа. Cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate ei.
Añа. Tollẽs se Angelus Dñi, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos.

Psalmus.

D Omini est terra, & pleni tudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.
Q uia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
Q uis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?
I nnocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo.
H ic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiã à Deo salutari suo.
H æc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.
A ttollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.
Q uis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potẽs, Dominus potens in prælio.
A ttollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.
Q uis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.
Añа. Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos.
Añа. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum; & eripiet eos.

Psalmus.

B Enedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.
I n Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.
M agnificate Dominum mecũ:

& exal

& exaltemus nomen eius in idipsum.
Exquisiui Dominum & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.
Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.
Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.
Timete Dominũ omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.
Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominũ non minuentur omni bono.
Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.
Quis est homo, qui vult vitam? diligit dies videre bonos?
Prohibe linguã tuã à malo: & labia tua ne loquantur dolum.
Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.
Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.
Vultus autem Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.
Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.
Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.
Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.
Custodit Dñs omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.
Mors peccatorũ pessima: & qui oderunt iustum, delinquent.
Redimet Dominus animas seruorum suorũ: & non delinquent omnes, qui sperant in eo.
Ana. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.
℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.
℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
In Psalm. Qui habitat serm. 12.
Lectio iiij

Angelis suis mandauit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? Quibus? De quo? Quid mãdauit? Studiosè consideremus, fratres: diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mãdatum. Quis enim mandauit? Cuius sunt Angeli? Cuius mãdatis obtemperant? Cuius obediunt voluntati? Nempè Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Maiestas mãdauit Angelis, & Angelis suis mandauit. Illis vtiq; sublimibus, tam beatis, tam proximis; sibi cohærentibus, & verè domesticis Dei: mandauit de te. Tu quis es? Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis,

quoniam reputas eum? Quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed quid putas, mādāuit de te? Vt custodiant te.
℞. Viuit ipse Dominus. * Quoniam custodiuit me Angelus eius: & hinc euntem, & ibi cōmorantem, & inde hùc reuertentem.
℣. Et non permisit me Dominus ancillā suam coinquinari. * Quoniam custodiuit.

Lectio v.

QVantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præsentia: deuotionem pro beneuolentia: fiduciā pro custodia. Cautè ambula: vt videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerantiam habe. Tu ne audeas, illo præsente, quod vidente me, nō auderes? An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? Quid si tangeres? Quid si olfaceres? Vide, quia non solùm visu rerū præsentia comprobatur.
℞. Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace. * Et non tetigit eos omnino ignis, nec contristauit.
℣. Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum. * Et non tetigit.

Lectio vj.

IN ipso itaq; fratres affectuosè diligamus Angelos eius, tāquā futuros aliquādo cohæredes nostros: interim verò actores, & tutores à Patre præpositos, & præpositos nobis. Quid sub tātis custodib⁹ timeamus? Nec superari, nec seduci: minùs autē seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt: quid trepidamus? Tantùm sequamur eos: adhæreamus eis, in protectione Dei cæli commoremur. Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione inclama eū, & dic: Domine, salua nos, perimus.
℞. In omni tribulatione eorum non est tribulatus. * Et Angelus faciei eius saluauit eos.
℣. In dilectione sua, & indulgentia sua redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cūctis diebus sæculi. * Et Angelus.
℣. Gloria Patri.
* Et Angelus.

In tertio Nocturno.

Aña Misit Dominus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus Regis Assyriorum.

Psalmus.

CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.
Annuntiate inter gētes gloriam

eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.
Quoniam omnes dij gentiũ dæmonia: Dominus autem cælos fecit.
Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius.
Afferte Domino patriæ gentiũ, afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.
Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gẽtibus, quia Dominus regnauit.
Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebũt campi, & omnia quæ in eis sunt.
Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbẽ terræ in ęquitate: & populos in veritate sua.
Aña. Misit Dominus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus Regis Assyriorum.
Aña Adorate Dominum omnes Angeli eius, audiuit: & lætata est Sion.

Psalmus.

Dominus regnauit: exultet terra: lætentur insulæ multæ.
Nubes, & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium, correctio sedis eius.
Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.
Illuxerũt fulgura eius orbi terrę: vidit, & commota est terra.
Montes sicut cera fluxerũt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.
Annuntiauerunt cæli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.
Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis.
Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.
Et exultauerunt filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.
Quoniã tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.
Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.
Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia.
Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.
Aña. Adorate Dominum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.
Aña. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius,

ad audiendam vocem sermonum eius.

Psalmus.

Benedic anima mea Domino:& omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnib⁹ iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitã tuã: qui coronat te in misericordia,& miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens misericordias Dominus: & iudicium omnibus iniuriã patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas.

Miserator & misericors Dñs: lõganimis,& multum misericors.

Non in perpetuũ irascetur: neq; in æternum comminabitur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat Ortus ab Occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam puluis sumus: homo sicut fœnũ dies ei⁹, tamquam flos agri, sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo,& non subsistet: & non cognoscet ampliùs locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno: & vsque in æternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum: his qui seruant testamẽtum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea.

Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute: facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.

Añ. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbũ illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

℣. In conspectu Angelorũ psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio S. Euangelij secùndum Matthæum.

Cap. XIII.

In illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani.

Ex libro Prognosticon.

Cap. LV.

CHristū dixisse in Euangelio legimus: Videte ne cōtemnatis vnum de pusillis istis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Sicut ergo illi vident, ita & nos visuri sumus: sed necdum videmus. Propter quod ait Apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Præmium itaque nobis Fidei visio ista seruatur: de qua & Ioannes Apostolus loquitur: Cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Facies autem Dei manifestatio eius intelligenda est: non aliquod tale mēbrum, quale nos habemus in corpore, quod vtique isto nomine nuncupamus. Similes ergo tunc Angelis erimus, quia sicut illi nūc vident, ita nos Deum post resurrectionem videbimus.

℟. Machabæus, & qui cum eo erant, cognouerunt expugnari præsidia. * Cum fletu, & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. ℣. Cumque pariter prompto animo procederent Ierosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. * Cum fletu.

Eiusdem S. Iuliani in Antichimenon Lib. 2. Resp. 9.

Lectio vij.

QVomodo Christus in Euangelio dicit: Angeli eorum in cęlis semper vident faciē Patris mei, cùm Paulus è contra videatur dicere: Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Si semper assistunt, quomodo exteriùs mitti dicuntur? Si Angeli Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare potuissent. Et mittuntur ergo, & assistunt, quia ad nos spirituali præsentia foras exeunt; & tamen ibi se, vnde recesserunt, per internam contemplationem seruant.

℟. Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de castris Sēnacherib cētum octoginta quinque millia. * Et nunc dominator cælorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui. ℣. Vt metuant, qui cum blasphemia veniūt aduersus sanctum populum tuum. * Et nunc dominator. ℣. Gloria. Et nūc dominator.

Si hoc festū venerit in Quadragesima, nona lectio legitur de feria tunc ocurrente: alio tempore legitur sequens.

Eiusdem S. Iuliani in Prognosticon. Lib. 1. Cap. 10.

Lectio ix.

CVm imminente morte animæ à corporib⁹ separamur, Angelos ibi adesse fatendum est: qui exeūtes à corporibus animas iustorum suscipiant, & piorū receptaculis introducant. Vnde cùm in Euangelio mētio diuitis,

& Lazari pauperis ageretur, sic scriptum est: Contigit mori inopem illum, & deferri ab Angelis in sinũ Abrahę. Qua sẽtẽtia verissimè cõfirmamur, quòd in separatione sanctarum animarum, & egressu à corpore, Angelorum semper habeantur excubiæ.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas Antiphona.

ANgelis suis Deus mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Psalmus. Dominus regnauit, cũ reliquis de Dominica. Aña. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubin, & Seraphin Sanctus, Sanctus, Sãctus, proclamant.

Aña. Angeli eorũ semper vident faciem Patris: qui in cælis est.

Aña. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, & eruit seruos qui crediderunt in eum.

Aña. Laudate Deum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Capitulum. *Eccles.* 23.

ECce ego mittam Angelum meũ, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum, quem præparaui: obserua eum, & audi vocem eius.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui quidquid est potentia
Magna creasti, nec regis
Minori prouidentia.
Adesto supplicantium
Tibi reorum cætui,
Lucisque sub crepusculum
Lucem nouam da mentibus.
Tuusque nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hic adsit, à contagio.
Qui criminum nos protegat.
Serpentis nobis æmuli
Calumnias exterminet,
Ne rete fraudulentiæ
Incauta nectat pectora.
Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus:
Pacem procuret ciuium,
Fugetque pestilentiam.
Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et sanctus vnxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. Amen.

℣. In conspectu Angelorũ psallam tibi Deus meus.
℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Benedictus. Aña.

Reuersus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virũ, qui suscitatur à somno suo.

Oratio.

DEus, qui ineffabili prouidẽtia sanctos Angelos tuos ad nostrã custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorũ semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum.

Ecce ego mittam, vt in Laudib.
℟. Stetit Angelus. Iuxta arã tẽpli. ℟. Stetit. ℣. Habẽs thuribulũ aureũ in manu sua. Iuxta arã. ℣. Gloria Patri. ℟. Stetit Angelus iuxta. ℣. Ascendit fumus aromatum in cõspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam Cap *Exod.* 23.

NEc contemnédũ putes, quia nó dimittet cũ peccaueris: & est nomen meum in illo.

℟ Ascédit fumus aromatũ. * In conspectu Domini. ℟ Ascendit fumus. ℣ De manu Angeli. * In conspectu Domini. ℣ Gloria. ℟ Ascendit. ℣ In cóspectu Angelorum psallá tibi Deus meus. ℟ Adorabo ad templum sanctũ tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam, Cap *Exod.* 23.

QVod si audieris vocé eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te: præcedet que te Angelus meus. ℟ In conspectu Angelorum. * Psallam tibi Deus meus. ℟ In conspectu. ℣ Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. * Psallam tibi. ℣ Gloria Patri, & Filio. ℟ In conspectu. ℣ Adorate Deum. ℟ Omnes Angeli eius.

In secundis Vesperis, Aña.

Angelis suis, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dominus, cum reliq. de Dominica, & loco vltimi Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniã. Capit. Hym. & Vers. vt in primis Vesperis fol. 21.

Ad Magnificat, Aña.

Sãcti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio: vt non pereamus in tremendo iudicio.

Oratio. Deus, qui ineffabili, vt suprà in Laud.

Die viij. MARTII.

In festo sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani, & Confessoris, **duplex maius.**

Si hoc festũ venerit in feria quarta Cinerũ, vel in Dominicis Quadragesimæ, transfertur in diem decimum sequentem: & tunc in primis Vesp. fit commemor. SS. Quadrag. Mart. & feriæ.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter ea, quæ hic habentur propria.

Ad Ves. Aña **Ecce Sacerdos magnus,** cum reliq. Antiph. & Psalmis de eodem communi.

Oratio.

SApientiæ tuæ Spiritum Deus nobis mittere digneris: vt beati Iuliani Confessoris tui, atque Pontificis doctrinis eruditos, neque aduersis obrui, neque prosperis labi permittas. Per Dominum.

Deinde fit comme. S. Thom. de Aquino, Aña. O Doctor. ℣ Iustum deduxit. Oratio. Deus, qui Ecclesiam vt in Breuiario, die vij. Martij, & in Quadrag. fit commem. fer. in vtrisque Vesp. & Laud.

In j. Noct. Lect. Fidelis sermo, vt in festo S. Ildefonsi, cum suis Responsorijs. fol. 1.

In secundo Nocturno.

Ex Felice Archiepiscopo Toletano qui eius vitã conscripsit: & nonnullis Cõcilijs Toletanis quibus præfuit Iulianus. Lectio iiij.

IVlianus ciuis, & Archiepiscopus Toletanus sanctitate & doctrina floruit tẽpore Vvambę, ac Eruigij Regum, qui in prima infantia educatus ad pietatem, vbi ætate aliquantulum processit, Eugenio tertio Archiepiscopo

Toletano

Toletano erudiendus à parentibus traditur. Cuius indole Eugenius delectatus in omni genere doctrinæ Iulianum diligenter exercuit. Itaque gradatim ad Archiepiscopatus Toletani dignitatem ascẽdit. Quo in munere strenuum se ac vigilantẽ Domini ministrum præbuit. Ex assiduitate orandi, atque efficacia Deo familiaris effectus, ex eius se consortio haurire dicebat, si quid ipse vtiliter in alios effunderet. Eximia itẽ in pauperes benignitate excelluit: quos ceu parens quidam re, ac consilio foueat. In componendis ex æquo & bono litibus, & controuersijs diuitũ dirimendis singulari fuit prudẽtia, ac dexteritate. ℟. Inueni Dauid. fo 3.

Lectio v.

Diuini cultus perstudiosus, sacrarumque cæremoniarum diligens, ac tenax conseruator, Ecclesiasticum Officium vitio temporũ corruptum, suæ integritati restituit, ac nouis precationibus ornauit: de quo librum etiam scripsit, quẽ Toletanæ Ecclesiæ reliquit. Concilijs Toletanis nonnullis præfuit, in quibus Leone secundo, & Benedicto itẽ secundo Pontificibus Maximis hortãtibus, & Petrum Notarium Regionarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatum Apostolicum ea de causa in Hispaniam mittentibus, Concilij Constantinopolitani tertij decretis magna veneratione susceptis, Apolinaris & Monothelitarum errores publicè damnati sunt. Ad quos explodendos penitus, & Catholicam de duabus in Christo naturis doctrinam vehementiùs stabiliendam, Iulianus cum Concilio omnibus numeris absolutam confessionem edidit. In qua, retecta perniciosa hæreticorũ calliditate, humilẽ Christianæ fidei simplicitatem explicans, ait: Neque enim quæ sunt diuina, discutienda sunt, sed credenda. Non enim se Deus discutere iubet, sed credere. Credamus igitur nõ sensibus nostris, sed indubitatis Conciliorum priscorum dogmatibus iam præmissis.

℟. Posui adiutorium. fol 3.

Lectio vi.

Scripsit Prognosticon librum, Iulianum Pomerium imitatus, multaque alia, & soluta oratione, & adstricta numeris, quæ à Felice, Iuliani in Episcopatu successore eius in vita numerantur: quibus eruditionẽ suam posteritati commẽdauit. Postremò beatus Iulianus, sanctimonia, & sapientia florens, cùm Toletanæ Ecclesiæ præfuisset annos decem, ex huius mortalitatis ergastulo ad celestem patriam euocatus est, octauo Idus Martias, & in æde sanctæ Leocadiæ sepultus: sed in Hispaniæ vastatione Ouetum translatus creditur.

℟. Iste est, qui ante Deum, fol 4.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum,

Lectio vij. Cap. V.

In illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia Sancti Eulogij electi Archiepiſcopi Toletani.

Lib. 1. Memorialis Sanctorum.

DOminus quidem ad officiũ prædicandæ veritatis diſcipulos imbuens, impauida eos audacia iubet eſſe contentos, dicens: Euntes per vniuerſum mũdum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Et iterum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus: quia non habent quid ampliùs faciãt: ſed potiùs eum timete, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam.

℟. Amauit eum Dñs. fol. 4.

Lectio viij.

VOs eſtis lux mundi. Nó poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita: neque accendũt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sũt. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Quod in myſterio cognouiſtis, apertiùs enarrate: quod didiciſtis abſconditè, publicè loquimini. Quod vos erudiui in paruo Iudęæ loco, in vniuerſis vrbibus, & in toto mũdo audacter dicite.

℟. In medio Eccleſiæ. fol. 5.

Lectio nona de feria occurrenti. Quòd ſi contingat ante Quadrageſimam hoc feſtum celebrari, dicatur tunc ſequens.

Lectio ix.

DOcet fiduciam prædicandi: ne Apoſtoli abſcondantur ob metum, & ſint ſimiles lucernæ ſub modio. Quoniam hi, qui libertatem faciendi verbum in populis diuinitus acceperunt, nequaquam reſilire à prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus, debent: vt non lucernis ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſitis comparentur.

Te Deum laudamus.

In ſecundis Veſp. fit comm. SS. Quadraginta Martyrum.

DIE XI. MARTII.

In feſto S. Eulogij presbyt. & mart. electi Archiepiſc. Toletani. ſemid.

Omnia de Communi vnius mart præter ea, quę hic ſunt propria, cum nona Lectione, & commem. feriæ Quadrag. in vtriſque Veſp. & Laud.

Oratio.

DA, quæſumus Domine, B. Eulogij martyris tui fidei conſtantiã imitari: vt eiuſdẽ interceſsione in tui nominis amore roborati, æternum capiamus tuæ ſalutis conſortium. Per Dominum.

In primo nocturno ſequuntur Lectiones de Epiſtola ad Romanos. Fratres, Debitores ſumus. de Communi plurimorum martyrum.

In ſecundo Nocturno.

Ex Aluaro Cordubenſi eius ſodale, & oculato teſte.

Lectio iiij.

BEatus Martyr Eulogius nobili ſtirpe progenitus, Cor-

dubæ ciuitatis patricia Senatorũ traduce natus, Ecclesiæ ministerio mancipatur, sancti ac beatissimi Zoili æde deseruiens, & in eiusdem Collegio clericorum vitam ducens multis, & clarissimis virtutibus floruit: magnis & laudabilibus operibus viguit: ab ipsis enim incunabulis literis Ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescẽs, perfectionem adeptus est; ac super omnes coætaneos doctrinæ, sciẽtiæ, & eruditionis lumine florens, magistrorum Doctor est factus: quippe qui mẽtem senilem paruissimo corpore gerẽs, vincebat, etsi non ætate, certè scientia vniuersos. Erat enim studiosissimus Scripturarum scrutator, & intentissimus sententiarum inuestigator: ita vt nihil Scripturæ præponeret sanctæ: nihil magis eligeret, quàm in Domino meditari die ac nocte.

℟. Honestum fecit. cum cæteris Responsorijs, vt in die martyrij xv. Nouembris.

Lectio v.

POst diuinæ memoriæ Vuistremiri Toletanæ Sedis Episcopi: in eandem Sedem ab omnibus comprouincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & pro relatu omnium comprobatus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reseruabat, quibusdã repagulis obuiauit. Cùmque iam ipsa communis electio cum sibi consecrari in Episcopio acclamaret, rerum obuiantium aduersitate impediti, alium sibi eo viuente, interdixerunt eligere. Qui licèt argutè frustraretur ab ordine, tamen non est priuatus eiusdem ordinis munere: siquidem Episcopatum cælestem adeptus est, nũc per Martyrij gloriã Christo coniunctus est. Omnes namque sancti Episcopi, non tamen omnes Episcopi sancti: ille verò sanctitatẽ per cruoris fusionem inueniens, Episcopi ordine fungitur, dum cælo receptus, æternis promissionibus muneratur.

℟. Desiderium animæ.

Lectio vi.

CVm ab impijssimo quopiã ipsi familiarissimè noto promissionibus, & blanditijs ad negandam Christi fidem sic alliceretur: Audi me, obsecro, & ne præcipiti casu corruas, rogo, dic tantùm verbo in hora huius tuæ necessitatis, & postea tua vbi potueris, vtere fide: promittimus te nusquam inquirendum. Cui beatissimus Martyr subridẽs: O, inquit, si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita: aut si possem, quod meo retineo, tuo committere pectori, tũc iam non me à proposito reuocare conareris, sed libentiùs te ab hoc mundiali honore amouere cogitares: & cœpit eis Euãgelij æterni verbum porrigere: qui illicò, eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cùmque duceretur, vnus ex eunuchis Regis alapa eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans: Obsecro, inquit, vt hanc iterum verberando priori coæques. Sed impetu militũ ad locum occisionis deducitur

tur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cælos extendens, signoque crucis se totum muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & celeri ictu mundum contemnens vitam inuenit: compleuit martyrium suum quinto Idus Martij, die Sabbato, hora nona.

℟. Stola iucunditatis.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij secundùm. Matthæum. Lectio vij. *Cap. 9.*

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Iuliani Archiepiscopi Toletani.

Ex lib. Prognosticon cap. 14. & ex Cypriano lib. de Mortalitate.

SI in Christũ credimus, fidem verbis eius habeamus, & non morituri in æternum, ad Christum, cum quo victuri, & regnaturi sumus, læta securitate veniamus: quòd interim morimur, ad immortalitatem morte trãsgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed trãsitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis nõ mutari, & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet? Venturus ad Christi sedem, & ad regnorum cælestium claritatem lugere non debet, & plangere: sed potiùs secundum pollicitationem Domini, secundùm fidẽ veritatis in profectione hac sua, & translatione gaudere. Eius est in mũdo velle manere, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens, atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cum mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit? & non magis sequeris Christum, qui te & redemit, & diligit.

℟. Corona aurea. Lectio viij.

SI in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerẽt, domus iã fatigata, iam lassa, ædificijs senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si, nauigante te, turbida & procellosa tempestas, fluctibus violentis excitatis, prænuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quòd exitu maturiori subtractus, ruinis, & naufragijs, & plagis imminẽtibus exuaris? Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos, & laqueis sæcularibus exolutos paradiso restituit, & regno cælesti.

℟. Hic est verè Martyr.

DIE XVIII. MARTII.

Sancti Gabrielis Archangeli, dup. maius.

Si hoc festum venerit in Dñicis Quadrag. transfertur in fer. iij. seq. & tũc in primis Vesp. fit tãtũ comm. S. Iosephi & fer. occurr.

Si autem venerit in Dominica Palmarum, aut in maiori hebdomada, transfertur post Oct. Paschæ, post festum Annunc. & in ij. Vesp. fit de S. Gabriele comm. tantū: & tunc fit Offic. vt tēpore Pasc. additurq; Alleluia, Aňis, Inuitatorio, Responsorijs Matutinorum, & breuibus, ac versiculis, & tunc tres Psalmi cuiuscunque Noct. dicuntur sub prima Aňa illius Noct. Alio tēpore fit Officium, vt sequitur.

Ad Vesperas, Aňa.

Ingresso Zacharia? cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dňs. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. & Laudate Dňm omnes gentes.

Capitulum. *Dan. 9.*

ECce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me: & locutus est mihi, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

CHriste, sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, & auctor,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cælum.

Angelus Fortis Gabriel, vt hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto,
Sæpius templum veniēs ad istud
Visere nostrum.

Hinc Dei nostri Genitrix Maria,
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul & beata
Concio tota.

Præstet hoc nobis deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. Stetit Angelus iuxta arā templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat, Aňa.

Ingressus Gabriel Angel⁹ ad Mariam Virginem, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

DEus, qui inter cæteros Angelos ad annūtiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius, vt qui festum eius celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cælis. Qui viuis, & regnas.

In Quadragesima fit commem. feriæ occurrentis in vtrisque Vesperis, & Laudibus.

Ad Matutinum Inuitatorium.

Regem Archangelorum Dominum * Venite adoremus. Psal. Venite exultemus. Hymnus. Christe sanctorum. vt supra in Vesperis.

In primo Nocturno. Aňa.

Dixit Angelus Gabriel ad Danielem; Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Psalm. Dňe Dňs noster. fol. 21.

Aňa Ecce vir Gabriel, quem viderā in visione, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me.

Psalm. In Dňo cōfido. fol. 22.

Aňa Cumque Gabriel loquere-

tur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

Psalm. Domine, quis. fol. 22.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ex Daniele Propheta.

Lectio j.

EGo Daniel, cùm adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in cõspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volãs tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi, dixitque Daniel, nũc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem.

℟. Cùm oraret Daniel, & confiteretur peccata sua, & peccata populi sui. Ecce Archangelus Gabriel citò volans tetigit eum in tempore sacrificij vespertini. ℣. Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce Archangelus.

Lectio ij.

SEptuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sẽpiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duę erũt. Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, & dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. ℣. Tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem. Ego autem.

Lectio iij.

ET post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est: & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactũ multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.

℟. Ecce vir Gabriel, quem videram: citò volans tetigit me in tẽpore sacrificij vespertini, & docuit me, & dixit. Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. ℣. Gabriel fac me intelligere istam visionem: & venit, & stetit iuxta vbi ego stabã, & ait ad me. Daniel. ℣. Gloria

Patri, & Filio, &c. * Daniel.

In secundo Nocturno.

Aña. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Vxor tua Elizabeth, pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannē. Psalm. Cæli enarrant. fol. 23.

Aña. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Psalm. Domini est terra. fol. 24.

Aña. Respondens autē Angelus, dixit ei: Ego sū Gabriel, qui asto ante Deū: & missus sum loqui ad te, & hęc tibi Euangelizare. Psalm. Benedicam Dominum. fol. 24.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 1. de Laudibus Virginis super Missus est.

Lectio iiij.

MIssus est Angelus Gabriel à Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebra soleat ad terras fungi legatione. Quod ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, Fortitudo Dei, dicitur: & quia non ab aliquo alio, fortè excellētiore se (vt assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est à Deo. Vel ideò dictum est, à Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus antequam Virgini, reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuntio. ℟. Factū est cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum. * Apparuit ei Angelus Gabriel, stans à dextris altaris incensi. ℣. Cumq; ingressus in templū Dñi incensū poneret, secundùm consuetudinē Sacerdotij sui. * Apparuit ei.

Lectio v.

NEc discordat nomē à nuntio. Dei quippe virtutem Christum, quem meliùs nuntiare decebat, quàm hunc quem simile nomen honorat? Numquid est aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum, & nuntium communi censeri vocabulo: cùm similis in vtroque appellationis, non sit tamen vtriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nūcupatiuè; Christus autem etiam substantiuè.

℟. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens. * Ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. ℣. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus. * Ne timeas.

Lectio vj.

CHristus Dei virtus, & dicitur, & est: quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superueniens, ipsum suo brachio debellauit; & sic ei vasa captiuitatis

tis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus est: vel quòd huiuscemodi meruerit prærogatiuam officij: quo eiusdem nuntiaret aduentum virtutis: vel quia Virginem natura pauidam, simplicem, verecundam, ne miraculi nouitate expauesceret, confortare deberet: quod & fecit: Ne timeas, inquiens, Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Conuenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur; imò quia tale illi negotium iniungitur, rectè tali nomine designatur.

℟. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc Euangelizare. * Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diē, quo hæc fiant. ℣. Pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. * Ecce eris tacens. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. * Ecce eris tacens.

In tertio Nocturno.

Aña. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph. Psalm. Cantate. fol. 26.

Aña. Gabriel Angelus Marię dixit: Ecce Elisabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Psalmus. Dominus regnauit, exultet. fol. 27.

Aña. Suscipe verbū Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum Gabrielē transmissum est. Psalmus. Benedic anima mea Domino. fol. 28.

℣. In cōspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid; & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani.

Lib. 2. contra Iudæos statim post principium.

Sacramentum illud septuaginta hebdomadarū de Christi natiuitate Daniel per Angelum didicit: similiter & Zacharias, apparente sibi Angelo, Ioannem filium de se generandum audiuit: & Maria, Angelo sibi prædicenti Christum ex se nascendum, & credidit, & assensit. Hæc tria per Angelum dicta, & completa videmus. Iam ergo sollicitè intuendum est, vtrum Angelus iste, qui Zachariæ, & Mariæ apparuit, ipsi quoque Danieli illa prædixerit.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariā Virginem despōsatam Ioseph: & expauescit Virgo de lumine. * Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dn̄m: ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi filius. ℣. Quæ cū audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio: & ait Angelus ei. * Ne timeas Maria.

Lectio viij.

EQuidem ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quando illa sacramenta hebdomadarum de Christi natiuitate per Angelum futura cognouit, sic ipsius Angeli nomen euidenter expressit. Dicit enim: Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, citò volans tetigit me, & dixit: Daniel animaduerte sermonem: & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundum Euangelium, Angeli ipsius nomen mirificum sic inuenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deũ, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. ℟. Gaude Maria Virgo: cunctas hæreses sola interemisti. * Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum virgo Deum & hominem genuisti, & post partum virgo inuiolata permansisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, * Quæ Gabrielis. ℣. Gloria. ℟. Quæ Gabrielis.

Nona lectio de feria occurrenti, nisi transferatur post Octauam Paschę, quia tunc dicitur sequens

Lectio ix.

QVod etiã de B. Mariæ Virginis partu sic in eodem Euangelio legitur. Missus est, inquit, Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginẽ desponsatã viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Iam ergo manifestũ est, quòd vnꝰ, ideq; Angelus Gabriel fuerit, qui & pręfixa illa tempora Danieli de Christi natiuitate aperuit, & partum Virginis præsentem esse monstrauit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, & olim à se dicta operis efficientia completa esse conuincit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per mysterium reuelatum. Te Deum.

Ad Laudes, & per horas, Antiphona.

INgresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus stans à dextris altaris incensi. Psalm. Dominus regnauit, decorem, cum reliquis de Dominica.

Aña. Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

Aña. Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te.

Aña. Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum.

Aña. Dixit autem Maria ad Angelũ: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Capitulum. *Dan. 9.*

ECce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volãs tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me: & locutus est mihi, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

CHriste Redemptor omniũ,
Conserua tuos famulos,
Beatæ semper Virginis
Placatus sanctis precibus.
Beata quoque agmina
Cælestium spirituum,
Prærerita, præsentia,
Futura mala pellite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Vt Christo laudes debitas
Persoluamus alacriter.
Gloria Patri ingenito,
Eiusque Vnigenito,
Vnà cum sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Benedictus, Antiphona.

Gabriel Angelus descẽdit ad Zachariam, & ait illi: Vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & multi in natiuitate eius gaudebunt: ipse enim preibit ante faciem Domini præparare vias eius.

Oratio.

DEus, qui inter cæteros Angelos ad annũtiandum Incarnationis tuę mysteriũ Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius, vt qui festum eius celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cælis. Qui viuis & regnas.

Ad Tertiam, Capit. Ecce vir Gabriel. vt suprà in Laudib. ℟. bre. Stetit Angelus. * Iuxta aram tẽpli. ℟. Stetit Angelus. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. ℟. Iuxta. ℣. Gloria Patri, ℟. Stetit. ℣. Ascendit fumus aromatum in cõspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Capit. *Dan. 9.*

EGo autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, vt finem accipiat peccatum, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.

℟. breu. Ascendit fumus aromatũ. * In cõspectu Domini. ℣. Ascendit fumus. ℟. De manu Angeli. ℟. In conspectu. ℣. Gloria Patri, & Filio. ℟. Ascendit. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam, Cap. *Dan. 9.*

SCito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christũ ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.

℟. breue. In conspectu Angelorum. * Psallam tibi Deus meus. ℟. In conspectu.
℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. ℟. Psallam tibi. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. In conspectu. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli.

In secundis Vesp. Aña. Ingresso Zacharia: cum reliq. de Laudib. Psal. Dixit Dñs. cum reliquis de Dñica, & loco vltimi Psal. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti.

Capit. Ecce vir Gabriel.
Hymnus. Christe sanctorum, fol. 36 vt in prim's Vesp. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat, Aña.

Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum, Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.
Oratio. Deus, qui inter cæteros Angelos. vt supra in Laudibus.
Deinde fit commem. S. Ioseph Aña. Similabo eum. ℣. Amauit eum Dominus vt in Communi Confessoris non Pontificis.
Oratio. Sanctissimæ genitricis, vt in Breu. die xix. Martij.
Si festum S. Gabrielis transferatur in feriam tertiam in secundis Vesp. fit commem. S. Benedicti, & feriæ.

APRILIS.

DIE IIII. APRILIS.

In festo S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis Confessoris, & Doctoris. duplex. Omnia de communi Confess. Pontificis, præter eà, quæ hic sunt propria.
Si hoc festum venerit in Dominicis Quadrag. transfertur in feriam ij sequentem: si tamen venerit in maiori hebdomada, vel infrà Octauam Paschæ, transfertur post Octau. iuxta Rubr. de translat. festorum: & tunc in fine Antiph. Resp. Vers. & ℟. breu. additur Alleluia, vbi non est & tres Psalmi dicuntur per singulos Noctur. sub prima Aña illius Nocturni, quod etiam fit in omnibus festis, quæ celebrantur tempore Paschali.
Ad Magnificat, in vtrisque Vesp. Aña. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Isidore, diuinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Isidorũ ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.
In Quadragesima fit commemoratio feriæ in vtrisque Vesperis & Laudibus.
In primo Nocturno Lectiones. Sapientiam omnium antiquorũ. vt in communi Doct.

In secundo Nocturno.

Ex Braulio Cæsaraugustano, & Ildefonso Toletano, Archiepiscopis, & Redempto Isidori discipulo, atque ex ipso Isidoro, & Concilio Hispalensi 2. cap. 12.

Lectio iiij.

Isidorus natione Hispanus, patre Seueriano, prouinciæ Carthaginensis, matre Turtura ortus est. A sanctis viris Leandro Archiepiscopo Hispalẽsi, & Fulgentio Episcopo Astigitano, fratribus suis, sanctè, & liberaliter educatus, Latinè, Græcè, atque Hebraicè etiam doctus, in omnium disciplinarum genere exi-

miam eruditionis laudem consecutus est. Adolescens cùm esset adhuc, Arrianam hæresim, quam Gothorum arma in Hispaniam inuexerant, serpentem quotidie latiùs, ea libertate, & constantia palàm insectabatur, vt parũ abfuerit, quin ab Arrianis necaretur. A quib⁹ omni persuadẽdi artificio adhibito tentata eius fides nequicquam est. Leandro igitur vita functo, Isidorus Regis Reccaredi volũtate, & singulari Hispalensis populi lætitia successor in Episcopatu, diu, multumque repugnans eligitur.

℟. Inueni Dauid. fol. 3.

Lectio v.

POntifex factus, intelligens se ad onus, nõ ad honorem vocatum, mirum est, quantùm omnium virtutum excellẽtia, & singularis doctrinæ præstantia vniuersam Hispaniam illustrauerit. Discipulos multos instituit, in quorum numero Ildefonsus fuit, Toletanæ Ecclesiæ posteà Archiepiscopus. Eloquẽtia fuit admirabili. Monachorum regulam duriorem temperauit, & infirmorum imbecillitati mitiorem reddidit. Concilijs Hispalensi secundo, & Toletano quarto præfuit: in quib⁹ ad constituẽda Fidei dogmata magni semper fuit ponderis Isidori sententia. Gregorium quendam Syrum Episcopum, Acephalitarum hæresi infectum, ipsa in Synodo Hispalensi grauissimè confutauit, & ad meliorem mentem reduxit. Sedem Apostolicam eximia reuerentia coluit: de cuius potestate, atque obedientia ad Eugenium Toletanum Archiepiscopũ scribens, sic ait: Huius dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antistiti singulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris membris celsiori permanet in æternum: qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obediẽtiam, à capite seiũctus, Acephalitarum schismate se reddit obnoxium.

℟. Posui adiutorium. fol. 3.

Lectio vi.

MVltis, ijsque præclaris in omni diuinarum, humanarumque literarum genere proprij ingenij monimentis non parum Christianã disciplinam auxit, & ornauit. Ecclesiam suam quadraginta fermè annos sanctissimè rexit. Imminentem sibi mortem multò ante præuidens, per sex mẽses orationi, pœnitentiæ, ac misericordiæ operibus se dedit ardentiùs. Morti verò proximus in basilicam sancti Vincẽtij delatus, ab Eparcio, & Ioanne Episcopis, quos ea de causa ad se euocarat, cilicio indutus, ac cinere conspersus, corpus, & sanguinem Domini de eorum manu, humi prostratus accepit. Publicè veniam à populo petens, mutuãque omnibus charitatem commendans, bonis omnibus in pauperes distributis, pauper ipse spiritu, & in Christo diues quarto post die, dierum, ac bonorum operum plenus migrauit ad Dominum pridie Nonas Aprilis: sepultusq; est Hispali. Qua ciuitate

à Barbaris occupata, à Benabeto eius Rege Sarraceno Ferdinandus primus Castellæ, ac Legionis Rex magnis muneribus Isidori corpus impetrauit, Legionemque transtulit, in templo Deo eius nomine dicato honorificè collocauit. Miraculis & viuꝰ claruit, & mortuus, multaq; in vniuersã Hispaniam cõtulit beneficia: sæpeq; Christianis Regibus eius opem contra Barbaros implorãtibus præstò fuit. ℟. Iste est, qui ante Deum. fol. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. V

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilũ valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis.

Ex libro 3. Sententiarum.

Cap. XXXVI.

TAm doctrina, quã vita clare re debet Ecclesiasticus Doctor. Nã doctrina sine vita arrogantẽ reddit: vita sine doctrina inutilẽ facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmãda est: ita, vt quod docet verbo, instruat exẽplo. Vera est illa doctrina, quã viuẽdi sequitur forma: nam nihil turpius est, quã si bonũ, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat: tũc enim vtiliter prædicatio profertur, quãdo efficaciter adimpletur. ℟. Amauit eum Dominus. fol. 4.

Lectio viii.

OMnis vtilis Doctor plebibus subiectis ita se præstare debet, atque insistere doctrinæ, vt quantò claret verbo, tantò clarescat & merito. Nam quòd Apostolus Timotheo præcipit, cum omni imperio docere, non hortatur ad tumorem superbiæ, sed ad bonam actionem & vitæ auctoritatem: videlicet ne libertatem præberet peccandi; si bene doceret, & malè viueret. Vnde & Dominus: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit, minimus erit in regnó cælorum. Vides, quòd auctoritate magisterij caret, qui quod docet, non facit.

℟. In medio Ecclesiæ, sicut in festo sancti Ildefonsi. fol. 5.

Si venerit in Quadragesima, nona lectio erit de homilia feriæ: alio tempore dicatur sequens.

Lectio ix.

Ex eodem. Cap. XLII.

QVi præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subiectorum præstare se debet, vt non solùm auctoritate, verùm etiam humilitate clarescat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissoluatur vita subditorum in vitijs: atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis seueritas existat immoderationis. Hæc est enim in Dei sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatẽ remissi sint. Hinc est, quòd Sancti cùm magna constantia redarguerunt etiam Principum vitia, in quibus

cùm

cùm summa esset humilitas, loco tamē necessario, liberè transgressores iustitiæ increpabant.

Te Deum laudamus.

Die xiij. Aprilis.

In festo sancti Hermenigildi Martyris, **duplex.**

Omnia de Communi vnius Martyris, secundùm tempus quo inciderit celebrari, siue ante, siue post Pascha, exceptis his, quæ hic sunt propria.

Oratio.

Deus, pro cuius nomine B. Hermenigildus Rex, & Martyr manibus impiorum occubuit: præsta quæsumus, vt eius intercessionibus ab omnibus periculis liberemur. Per Dñm nostrum.

In Quadragesima fit comme. feriæ occurrentis in vtrisque Vesperis & Laudibus.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti: sed in Quadrag. dicantur de communi plurimorum Martyrũ. Fratres, debitores sumus.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Gregorij Papæ.

Ex 3. libro Dialogorum.

Cap. XXXI.

Lectio iiij.

Sicut multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Hermenigildus Rex, Leouigildi Regis Visegothorum filius ab Arriana hæresi ad fidem Catholicam viro reuerendissimo Leandro Hispalitano Episcopo, dudum mihi in amicitia familiariter iuncto, prædicante, conuersus est. Quem pater Arrianus, vt ad eamdem hæresim rediret, & præmijs suadere, & minis terrere conatus est. Cumq; ille constantissimè responderet, numquam se veram fidem posse relinquere, quã semel agnouisset: iratus pater eum priuauit regno, rebusq; expoliauit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum, manusq; illius ferro ligauit. Cœpit itaque idē Hermenigildus Rex iuuenis terrenum regnũ despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in cilicijs vinculatus iacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere: tantoq; sublimiùs gloriã transeuntis mũdi despicere, quantò & religatus agnouerat, nihil fuisse, quod potuerit auferri.

Lectio v.

Superueniente autem Paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum Episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Arriano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque à se perfidiam dignis increpationib⁹ repulit: quia etsi exteriùs iacebat ligatus, apud se tamen in magno mētis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso Episcopo Arrianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei, illic vbi iacebat, occiderent: quod & fa-

ctum

ctum est. Nam mox vt ingressi sunt, securē cerebro eius infigentes, vitam corporis abstulerunt, hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se cōstiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuere miracula. Nā cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cātus ad corpus eiusdē Regis, & Martyris audiri, atque ideò veraciter Regis, quia & Martyris.

Lectio vj.

QVidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: vnde & factū est, quatenus corpus illius, vt videlicet Martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus, & parricida, cōmotus pœnitētia hoc fecisse se doluit: nec tamen vsq, ad obtinendam salutē pertinuit. Nā quia vera esset Catholica fides agnouit, sed gentis suæ timore perterritus ad hanc peruenire non meruit. Qui oborta ægritudine, ad extrema perductus est, & Leādro Episcopo, quem priùs vehemēter afflixerat, Reccarędū Regem filium suum, quē in sua hæresi reliquerat, cōmēdare curauit, vt in ipso quoque talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset. Qua commēdatione expleta, defunctus est. Post cuius mortē Reccarędus Rex, nō patrē perfidū, sed fratrem Martyrem sequens, ab Arrianæ hæreseos prauitate conuersus est, totā quoque Visegothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullū in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret. Nec mirum, quòd veræ fidei prædicator factus est, qui frater est Martyris: cuius hūc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat.

In tertio Nocturno Homilia in Euangelium. **Si quis venit ad me** de Communi vnius Martyris, etiamsi fiat Officium tempore Paschali.

Si celebretur in Quadragesima, nona lectio erit de Homilia feriæ.

DIE XXII. APRILIS,

Festum SS. Soteris & Caij Pontificum & Martyrum, **duplex,** in Ecclesia matrice, quia habetur in ea corp⁹ sancti Soteris, & fit officium, vt in Breu. die xxij. Aprilis.

Si festum SS. Soteris & Caij, & alia festa nouem lectionū inciderint in maiori hebdomada, vel infra Octauā Paschę, transferantur post Dominicam in Albis, in primam diē festo duplici, vel semiduplici non impeditam, eo ordine, quo erāt celebranda in proprijs diebus: modò festa S. Marci, & sanctorum Apostolorum, Philippi, & Iacobi, tāquam digniora, cæteris festis translatis præponātur: & simili modo festa duplicia semiduplicibus præferantur.

DIE XXVI. APRILIS.

Translatio S. Leocadiæ virgin. & martyr. **duplex,** celebratur in ciuitate, & Diœcesi Toletana: festū autē SS. Cleti, & Marcellini trāsfertur in primā diē festo duplici,

el fem duplici non impeditam. Omnia de communi Virginum & Martyrũ, præter ea quæ infrà assignantur: & in fine Inuitat. Antiph. Resp. Vers. & ℟. breu. additur, **Alleluia**, vbi non est: & sub prima Aña. cuiuslibet Nocturni dicantur tres Psalmi.

In secundis Vesperis S. Marci fit tantùm commem. S. Leocadiæ.

Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternũ. Alleluia.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. Alleluia.

℟. Intende, prospere procede, & regna. Alleluia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotẽs Deus, vt quos translatione gloriosæ spõsæ Virginis & Martyris tuæ Leocadiæ lætificare dignatus es, meritis eius, & intercessione translatos in gloriam, vnà cum illa tecum gaudere concedas. Per Domininum nostrum.

Si hoc festum translationis venerit in feria ij. post Dominicam in Albis, in secũdis Vesperis eiusdem Dominicæ fit tantùm commem. S. Leocadiæ, vt sup.

Quando festum translat. concurrerit in j. vel ij. Vesp. cum festo duplici, à Cap. fit de sequenti, cũ com. præced. sed si concurrerit cũ festis S. Marci SS. Apost. Philippi & Iacobi, Inuẽtionis S. Crucis, vel S. Ioã. ante portã Latinã, de trãslatione fit tantùm commem.

In primo Nocturno Lectiones. **Confitebor** tibi, cum suis Responsor. vt in die martyrij ix. Decembris.

In secundo Nocturno.

Lectio iiij.

QVo tempore Diocletianus & Maximianus Imperatores immani crudelitate Ecclesiam Dei persequebantur, B. Leocadia virgo Toleti in illo teterrimo carcere, vbi à Daciano Hispaniarum præfecto, dira custodia ob Christi confessionem macerata fuerat, spiritum Deo reddidit. Cuius venerandum corpus à Christianis honorificè in suburbio sepultum est, vbi postea Gothorum Reges Catholici insignẽ basilicam ædificarunt, quę Toletanis cõcilijs, sanctorũ Episcoporũ sepultura, & eximio eiusdem virginis miraculo nobilitata est: nã festo suo natali die palàm è sepulchro cõsurgens, Rege Reccesuintho, multisq; præsentibus, B. Ildefonsum Episcopum allocuta, eius pietatem in defendenda sanctissimæ Dei genitricis perpetua virginitate, egregiè cõmendauit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

SArracenis inde Hispaniã deuastantibus, cùm fideles ad munitiora loca confugerent, secumq; complures sanctorũ reliquias pio deuotionis affectu deferrent, corpus quoque B. Leocadiæ primò Ouetum (vt creditur) deinde in Hannoniã, quæ Galliæ Belgicæ regio est, translatum, in vetusto, ac nobili monasterio S. Gisleni in Cella monachorum S. Benedicti, quod est in Diœcesi Cameracensi, decenter repositũ, magnam apud loci habitatores, vicinosque venerationem habuit

per annos supra quadringentos: quod Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, & Belgij dominus, re diligenter cognita, ac perspecta, pio sacri corporis in patriam reportandi desiderio exarsit. Quare à Gregorio XIII. Summo Pontif. facultate impetrata, Archiepiscopus Cameracensis, & Abbas monasterij corpus ipsum ex arca extractum, in qua venerandæ antiquitatis vestigia, & probationes repertæ sunt, religioso sacerdoti ad id delecto solemniter tradiderunt, à quo in Hispaniam magna cum diligentia est perlatum.

℟. Dilexisti iustitiam.

Lect. vj.

CVm igitur beatæ virginis corpus, quod viuū Spiritus sancti templum fuerat, ad Toletanos fines ingēti omnium lętitia peruenisset, & Catholicus Rex ipse, qui eius rei causa Toletum venerat, vnà cum Maria sorore vidua Augusta, Philippo Principe filio, & Isabella primogenita Infante, præsens adesset, statuto die in frequentissimo hominum conuentu, vniuersus Clerus, Senatus, populusque Toletanus processionis ritu maximè solemni obuiam prodijt, & ciuē suam patronamque optatissimam incredibili pietate, & magnificentissimo apparatu excepit, ipsoq; Catholico Rege, Principe filio virisq; Hispaniæ proceribus, suaue onus, piè ac deuotè efferentibus, sacræ reliquiæ in nobilissimę vrbis primariū templum cunctis prę gaudio collacrymātibus, illatæ sunt, sexto Kalend. Maij, anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo septimo, quæ deinde Regia manu Cardinali Archiepisc. & Canonicis traditæ, ac Toletanæ Ecclesiæ perpetuò dicatæ, tāquam pretiosus, & planè cælestis thesaurus religiosissimè asseruantur. Eius autē Translationis anniuersaria memoria Sixti V. Pōtificis Maximi auctoritate celebratur. ℟. Afferentur.

In tertio Nocturno homilia sancti Isidori in Euangelium, Simile est regnum cælorum. vt in eius festo.

In secundis Vesperis omnia de Communi. Oratio. Præsta quæ sumus. vt supra, fol. 47.

Deinde fit commemoratio SS. mart. Cleti, & Marcellini, vt in Breuiario die xxvj. si de eis fiat Officium in die sequenti.

IVLIVS.

Die xvj. Ivlii.

In festo Triumphi S. Crucis, duplex maius.

Ad Vesperas, Antiphona.

O magnum pietatis opus, cum reliquis de Laudibus. Psalmi. Dixit Dominus Domino meo. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Laudate Dominū omnes gentes.

Capitulum.

FRatres: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cū in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est, esse se ęqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,

in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.

Hymnus.

VExilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium:
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda, & sanguine,
Impleta sunt, quæ concinit
Dauid fideli carmine:
Dicens, In nationibus
Regnauit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.
Beata, cuius brachijs
Sæcli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Prædamque tulit tartari.
O crux aue, spes vnica,
In hoc Triumphi tempore
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.
Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quos per Crucis mysterium
Saluas, rege per sæcula. Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cęlo. ℟. Cùm Dominus ad iudicãdum venerit.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Crux splẽdidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis: quæ sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, salua præsentẽ cateruam in tuis hodie laudibus cõgregatam.

Oratio.

DEus, qui per Crucem tuam populo in te credenti Triũphum contra inimicos concedere voluisti, quæsumus, vt tua pietate adorantibus Crucem victoriã semper tribuas, & honorem. Qui viuis, & regnas

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Christum Regem pro nobis in Cruce triumphantem. * Venite adoremus. Psalmus. Venite exultemus Domino.

Hymnus.

PAnge lingua gloriosi
Prælium certaminis:
Et super Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notauit,
Damna ligni vt solueret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis conditor,
Atque ventre Virginali
Caro factus prodijt.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et manus, pedesque & crura

Stricta cingit fascia.
Gloria & honor Deo.
Vsquequaque Altissimo,
Vnà Patri, Filioque,
Inclyto paraclito,
Cui laus est, & potestas
Per æterna secula. Amen.

In primo Nocturno.

Ana. Nobile lignum triumphat: Christi fides rutilat, dum Crux ab omnibus veneratur.

Psalmus.

BEatus vir, qui nõ abijt in cõsilio impiorũ, & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit.
Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte.
Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.
Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.
Non sic impij, non sic: sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.
Ideo non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum.
Quoniam nouit Dominus viam iustorũ: & iter impiorum peribit.
Ana. Nobile lignum triumphat, Christi fides rutilat, dum Crux ab omnibus veneratur.
Ana. Sancta Crux extollitur à cunctis Regibus: virga regia erigitur, in qua Saluator triumphauit.

Psalmus.

QVare fremuerũt gẽtes: & populi meditati sunt inania?
Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.
Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugũ ipsorũ.
Qui habitat in cælis, irridebit eos: & Dñs subsannabit eos.
Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.
Ego autẽ cõstitutus sum Rex ab eo super Sion montẽ sanctũ eius: prædicans præceptum eius.
Dñs dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.
Reges eos in virga ferrea: & tãquam vas figuli confringes eos.
Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.
Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.
Apprehendite disciplinam: nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.
Cùm exarserit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.
Ana. Sãcta Crux extollitur à cũctis Regibus: virga regia erigitur, in qua Saluator triũphauit.
Ana. O crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris: quibus te efferam præconijs? quoniam vitã nobis cælitem præparasti.

Psalmus.

DOmine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.
Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.
Tu autem Dñe susceptor meus

es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dñm clamaui: & exaudiuit me de mõte sācto suo.

Ego dormiui, & soporatus sũ, & exurrexi: quia Dñs suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percusisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Ana. O crux venerabilis quæ salutem attulisti miseris: quibus te efferam præconijs? quoniam vitã nobis cælitem præparasti.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cùm Dominus ad iudicãdum venerit.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j. Cap. III.

QVicumq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptũ est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sũt in libro legis, vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deũ, manifestum est, quia iustus ex fide viuit. Lex autem nõ est ex fide, sed qui fecerit ea homo viuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ (quia scriptũ est: Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gẽtibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

℟. Gloriosum diem sacra veneratur Ecclesia: dum triumphale vincit lignum. * In quo Redemptor noster mortis vincula rumpens, callidum aspidẽ superauit. ℣. In ligno pẽdens nostræ salutis semitam Verbum Patris inuenit. * In quo Redemptor.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses.

Lectio ij. Cap. II.

HOc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortem autem Crucis. Propter quod & exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestium, terrestriũ, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℟. Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis: nulla silua talem profert frõde, flore, germine. * Dulce lignũ, dulces clauos, dulce pondus sustinuit. ℣. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior. * Dulce lignum.

De Epistola ad Collossenses.

Lectio iij.

Cap. II.

INChristo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo & circũcisi estis cir-

cūcisione nō manu facta in expoliatione corporis carnis: sed in circūcisione Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis: & vos cū mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta: delens quod aduersus nos erat chirographū decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. ℟ Hæc est arbor dignissima, in paradisi medio situata. * In qua salutis auctor propria morte mortem omnium superauit. ℣. Crux præcellenti decore fulgida, quæ de fidei hostibus mirabiliter triumphauit. * In qua salutis. ℣. Gloria Patri.
* In qua salutis.

In secundo Nocturno.

Aña. O Crucis victoria, & admirabile signum, in cælesti curia fac nos captare triumphum.

Psalmus.

CVm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.
Miserere mei: & exaudi orationem meam.
Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendacium.
Et scitote: quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.
Dominus exaudiet me: cùm clamauero ad eum.
Irascimini, & nolite peccare: quę dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.
Sacrificate sacrificium iustitię, & sperate in Domino: multi dicūt, Quis ostendit nobis bona?
Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini & olei sui: multiplicati sunt.
In pace in idipsum: dormiam, & requiescam.
Quoniam tu Domine: singulariter in spe constituisti me.

Aña. O Crucis victoria, & admirabile signum, in cælesti curia fac nos captare triumphum.

Aña. Funestæ mortis damnatur suppliciū, cùm Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

Psalmus.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meę: Transmigra in montem sicut passer?
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.
Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: iustus autem quid fecit?
Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes eius.
Oculi eius in pauperem respiciūt: palpebrę eius interrogant filios hominum.
Dominus interrogat iustum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.
Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Aña. Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

Aña. Rex exaltatur in æthera, cùm nobile trophæum Crucis ab vniuersis Christicolis adoratur per sæcula.

Psalmus.

Domine in virtute tua lætabitur Rex:& super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei:& voluntate labiorum eius nō fraudasti eum.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculū, & in sæculum sæculi.

Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commouebitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Fructum eorū de terra perdes: & semen eorum à filiis hominū.

Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

Aña. Rex exaltatur in æthera, cū nobile trophęum Crucis ab vniuersis Christicolis adoratur per sæcula.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ex Ruderico Toletano, qui prælio interfuit vnà cum Rege, & totam huius belli historiam perscripsit lib. 8. Et ex literis ipsius Regis post victoriā ad Pontificem Maximum scriptis.

Lectio iiij.

Post luctuosam illam vastationem, qua Ruderico Gothorum Rege, Hispania à Sarracenis oppressa est, Deo clementer hæreditatem suam respiciente, Christiani, qui à tanta clade reliqui fuere, vbi se colligere cœperunt, fide potiùs, quàm armis muniti, parua sæpe manu de innumerabili infidelium multitudine victoriam cęlitus reportarunt. Sed inter alias multas, illa in primis victoria fuit illustris, quæ Alfonso Octauo, Sancij filio Castellæ rege parta diuinitus est. Cùm enim Mahometes, cognomine Viridis, potentissimus Sarracenorū Rex (qui in Africa Mauritaniam, & in Hispania Bœ

ticam, eamque partem, quæ ad Austrum pertinet, tunc posside- bat) in Christianorum fines hostiliter irrũperet, Alfonsus Rex, vt eã à Christiano nomine ignominiam depelleret, & hostem ferociter exultantem comprimeret, ab Innocentio Tertio Pontifice Maximo peccatorum indulgentias impetrauit, quæ in bellum Ierosolymitanum tunc proficiscentibus conferebantur. Exercitum conscripsit, & vicinos Reges, atque exteras nationes ad tam pium bellum excitauit. Pontifex verò Innocentius in Vrbe ieiunium indixit, in quo panis tantùm & aqua sumeretur. Omnium Ordinum supplicationes habuit, quas cùm alij tũ verò ipse Pontifex nudis pedibus prosecutus est: ac populum vniuersum, vt Deum salutaribus operibus placarent, grauissimè cohortatus est. ℟. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. * Per quẽ saluati, & liberati sumus. ℣. Tuã Crucem adoramus Dñe: & recolimus tuam gloriosam passionem. * Per quem saluati.

Lectio v.

ITaque magna hominum vis Cruce signatorum ex vniuersa Hispania, atque ex remotis etiam prouincijs Toletum confluxit. Sed paulò post exteri plerique omnes dilapsi sunt, vt consecutæ victoriæ laus Deo, non armatorum numero tribueretur. Nã Alfonsus Castellæ, Petrus Aragoniæ, & Sãctius Nauarræ Reges, ieiunijs, ac pijs precibus placato numine, atque exercitu peccatorum confessione, sacraque Eucharistia confirmato, in eo loco, quem Nauas Tolosæ vocant, decimo sexto Kalendas Augusti, anni Domini millesimi ducentesimi duodecimi, cum ingentibus Sarracenorum copijs collatis signis, felicissimè dimicarunt. Quamuis enim initio Maurorum multitudine nostri penè obruerentur, postea tamen diuina virtute animati Christiani, & Alfonsi Regis præsentia, vniuersum Barbarorum exercitum penitus deleuerunt. ℟. Dum sacrum pignus cælitùs triumphat, Christi fides roboratur. * Adsunt prodigia diuina in virga Moysi, primitus figurata. ℣. Ad Crucis conspectum fugantur infideles, & Dei magnalia referantur. Adsunt prodigia.

Lectio vj.

CRux, quæ ante Rudericum Archiepiscopum Toletanum, Alfonsi Regis latus tegentem, à Dominico Paschali Canonico Toletano de more ferebatur, per cõfertissimos hostium cuneos diuinitus illæsa penetrauit. Beatissimæ quoque Virginis Mariæ imago, quam Regium signum præferebat, vbi in conspectum Barbarorum venit, fortissima eorum acies, quæ maximè repugnabat, loco mota, ac profligata est. Ducenta hominũ millia cæsa vno illo prælio memorãtur: cùm quinque tantũ & viginti milites ex nostris sint desiderati. Denique tanta fuit hastarum, sagit-

tarumque apud hostes inuentarum copia, vt prælio confecto, per biduum ad ignem castrorum ea tantùm à nostris adhiberetur, neque tamen consumeretur. Itaque fracti Barbarorum animi, eorumque res vehementer accisæ: Christiani verò ad pristinam libertatem, ac gloriam recuperandam hac tam memorabili victoria erecti sunt. Cuius tanti à Deo in nos collati beneficij memoria ne temporum vetustate aboleretur, statutum est, vt quotannis solemnitas triumphi sanctæ Crucis nomine, eodem die per vniuersam Hispaniam celebretur, quo Crucis virtute Barbari diuinitus superati sunt.

℟. Hoc signum Crucis erit in cęlo, cùm Dominus ad iudicádum venerit. * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. ℣. Cũ sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, & cœperit iudicare sæculum per ignem. * Tunc manifesta. ℣. Gloria Patri. * Tunc manifesta.

In tertio Nocturno.

Ana. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Psalmus.

CAntate Dño canticum nouum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.

Annuntiate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.

Confessio & pulchritudo in cõspectu eius: sanctimonia, & magnificẽtia in sanctificatione eius.

Afferte Domino patriæ gẽtium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnabit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabũt omnia ligna siluarũ a facie Dñi, quia venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbẽ terræ in ęquitate: & populos in veritate sua.

Ana. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ana. Per lignum serui facti sumus: & per sanctam Crucem liberati sumus. Fructus arboris seduxit nos: Filius Dei redemit nos. Alleluia.

Psalmus.

DOminus regnauit: exultet terra, lætẽtur insulę multæ.

Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Annuntiauerunt cęli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate Dominum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.

Et exultauerunt filiæ Judę: propter iudicia tua Domine.

Quoniã tu Dominus altissimus super omnem terrã: nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberauit eos.

Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia.

Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Ana. Per lignum serui facti sumus: & per sanctã Crucem liberati sumus. Fructus arboris seduxit nos: Filius Dei redemit nos. Alleluia.

Ana. Saluator mundi salua nos, qui per Crucẽ, & sanguinẽ tuum redemisti nos: auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

Psalmus.

Cantate Dño canticum nouum: quia mirabilia fecit.

Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Recordatus est misericordię suæ: & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ: salutare Dei nostri.

Iubilate Deo omnis terra: cantate & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conspectu Regis Domini: moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.

Ana. Saluator mundi salua nos, qui per Crucem & sanguinem tuum redemisti nos: auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

℣. Omnis terra adoret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam.

Lectio vij.

Cap. XXI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homilia 35.

DOminus, ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, vt eò minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita: minùs enim iacula feriunt, quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce etenim dicit: Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet enim primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interiùs, aliud exteriùs passuros esse denuntiat. Bella quippè ad hostes pertinent: seditiones ad ciues. Vt ergo non indicet interiùs, exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.

℟. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinuit. * Quæ sola digna fuit portare pretium huius sæculi.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit. * Quæ sola.

Lectio viij.

SEd his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungit: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala, quæ præueniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur. Et ideò post bella, & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nuntiare. ℟. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. * Vt omnis, qui credit in ipsum, nõ pereat: sed habeat vitam æternam. ℣. Nõ misit Deus filium suum in mũdum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. * Vt omnis. ℣. Gloria Patri. * Vt omnis.

Lectio ix.

SEd cùm tot signa perturbationis dicta sint, oportet, vt eorum consideratione breuiter singula perstringamus. Quia necesse est, vt alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominib⁹ patiamur. Ait enim: Surget gens contra gentem: ecce perturbatio hominum. Erunt terræmotus magni per loca: ecce respectus iræ desuper. Erunt pestilentiæ: ecce inæqualitas corporũ. Erit fames: ecce sterilitas terræ. Terroresque de cælo, & tempestates: ecce inæqualitas aeris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur. Et qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur: vt impleatur, quod dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. O magnum pietatis opus: mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

Psalm. Dominus regnauit, cum reliquis de Laudibus Dominicæ, vt in Psalterio.

Ana. Salua nos, Christe Saluator, per virtutem Crucis, qui saluasti Petrum in mari, miserere nobis.

Ana. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ: vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Alleluia.

Ana. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi.

Ana. Per signum Crucis de inimicis nostris, libera nos Deus noster.

Capitulum. *Philip. 2.*

FRatres, hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo.

Hymnus.

LVstris sex qui iam peractis,
Tempus impelens corporis,
Se volente natus, ad hoc
Pasioni deditus,
Agnus in Crucis leuatur
Immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur.
Sanguis, vnda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lauantur flumine.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor vna nobilis,
Nulla silua talem profert
Fronde, flore, germine;
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinet.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit natiuitas:
Vt superni membra Regis
Miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre sæcli pretium,
Atque portum præparare,
Nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

Gloria, & honor Deo,
Vsquequaque Altissimo,
Vnà Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito,
Cui laus est, & potestas,
Per æterna sæcula. Amen.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
℟. Quia per Crucẽ tuam redemisti mundum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior: in qua vita mundi pependit; in qua Christus triumphauit, & mors mortem superauit in æternum.

Oratio.

DEus, qui per Crucem tuam populo in te credenti triũphum contra inimicos concedere voluisti, quæsumus, vt tua pietate adorantibus Crucem, victoriam semper tribuas, & honorem. Qui viuis.

Ad Tertiam, Capitulum.

Fratres, hoc enim sentite, vt supra in Laudibus.

℟. breu. Hoc signum Crucis. * Erit in cælo. ℟. Hoc signum.
℣. Cùm Dominus ad iudicandum venerit. * Erit in cælo.
℣. Gloria. ℟. Hoc signum.

℣. Ado-

℣. Adoramus te Christe, & benedicim' tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam, Capitulum *Galat.* 6.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

℟. breu. Adoramus te Christe. ℣. Et benedicimus tibi. ℟. Adoramus te Christe. ℣. Quia per Crucem tuam redemisti mundum. ℟. Et benedicimus. ℣. Gloria. ℟. Adoramus. ℣. Omnis terra adoret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo.

Ad Nonam, Cap. *Philip.* 2.

HVmiliauit semetipsum factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

℟. breu. Omnis terra adoret te. ℣. Et psallat tibi. ℟. Omnis terra. ℣. Psalmum dicat nomini tuo. ℟. Et psallat tibi. ℣. Gloria. ℟. Omnis terra. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cùm Dominus ad iudicandum venerit.

In ij. Vesp. omnia dicuntur, vt in primis Vesp. sed ad Magnificat, dicitur sequens Aña. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum, & Dominum. Alleluia. Oratio. Deus, qui per crucem tuam, vt sup. in Laud.

Postea fit commem. S. Alexij Confess. Aña. Similabo. ℣. Amauit eum. Oratio. Deus, qui nos beati, vt in communi Confess. non Pont.

DIE XXV. IVLII.

Fit de S. Iacobo Apostolo, Hispaniarum Patrono, duplex primæ classis.

Officium, vt habetur in Breuiario die xxv. Iulij, & non fit commem S. Christophori in primis Vesp. nec in Laud.

In secundis Vesp. fit comme S. Annæ. Aña. Simile est regnum cælorum. ℣. Specie tua, ne communi nec Virginum, nec Martyrum. Oratio. Deus, qui beatæ Annæ, vt in Breuiario.

DIE XXVj. IVLII.

Fit de S. Anna, matre B. Mariæ Virg. duplex, vt in Breu & fit commem. Octau. S. Iacobi.

In secundis Vesp. fit commem. Octa, & S. Pantaleonis Mart. vt in Breuiario.

DIE XXVij. IVLII.

Tertia die infra Octa. S. Iacobi Apostol. omnia de communi Apost. præter Orationem, quæ dicitur sicut in die, & Lect. quæ dicuntur, vt infrà.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosij Episcopi.

Ex tract. de fide, lib. 5. *cap.* 3.

Lectio iiij.

POtestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicentibus autẽ illis, Possumus, ait illis Iesus: Calicẽ quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meũ dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quàm patiens,

& clemens Dominus; quàm alta sapientia, & bona charitas; Volens enim ostendere, quòd non perfunctoriam rem aliquam discipuli póstularēt, sed eam, quam impetrare non possent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiæ reseruauit: non metuens, ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: simul diligens discipulos, quia sic (vt habes) vsque in finem dilexit eos: noluit his, quos diligeret, videri quod peterēt denegasse sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere. Charitas enim patiens est, benigna est, nō æmulatur, non inflatur, nō quærit quæ sua sunt. ℟. Vidi coniunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Domini locutus est ad me, dicens. *Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium cælum, voce magna clamantem, & dicētem. *Isti sunt.

Lectio v.

DEnique, vt cognoscatis, non infirmitatis, sed indulgentiæ esse quod dixit: Non est meū dare vobis, vbi sine matre filij Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit: Sic enim habes: Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus Euangelista posuit. Vbi verò mater pro filijs rogat, hoc est secundùm Matthæum: non est, inquit, meū dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo: Hic addidit, à Patre meo, quia maiorē indulgētiam maternus poscebat affectus. Quòd si putāt, dicēdo: Quibus paratū est à Patre meo, quòd aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogauit, dicant, vtrum & illic putēt aliquid Patri derogatū, quia dixit in Euangelio Filius de Patre: Pater non iudicat quēquam? ℟. Beati estis, cū maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mētientes propter me. *Gaudete, & exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cælis. ℣. Cū vos oderint homines, & cū separauerint vos, & exprobauerint, & eiecerint nomē vestrū tamquā malū propter filium hominis. *Gaudete.

Lectio vj.

QVòd si sacrilegum putamus, dicere quod Pater ita iudicium detulit Filio, vt ipse nō habeat (habet enim, nec potest amittere, quod habet naturaliter diuina maiestas) sacrilegū vtique æstimare debemus, quòd non potest Filius dare quidquid aut homines mereri possunt, aut quęuis accipere creatura: prę sertim cùm ipse dixerit: Ego ad Patrē vado, & quęcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciā. Si enim quod Pater dare potest, Filius nō potest, mentita est ergo veritas. Nō enim potest facere, quidquid in nomine eius Pater fuerit obsecratus. Nec enim ideò dixit: Quibus paratū est à Patre meo, vt tantummodò à Patre poscant: nam omnia quæcumque à Patre fuerint postulata, se dona-

re memorauit. Denique non dixit: Quodcumque à me petieritis, hoc faciam: sed, quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam.

℟. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui cótemnentes iussa principum, meruerũt præmia ęterna. *Modò coronantur, & accipiunt palmam.

℣. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerũt stolas suas in sanguine Agni. *Modò coronãtur. ℟. Gloria. *Modò coronantur.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. CAP. XX.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Ioan. Chrysostomi.

De Homil. 66. in Matthæum.

SEdere autem ad dexterã, & ad sinistram, non est meum dare: sed quibus à Patre meo paratum est. Quidnam sibi vult, quod modò dictum est? Duo enim hìc à multis quæruntur. Primum, si à dextris eius sedere quibusdam paratum sit. Alterum, si Dominus omnium nõ possit illis præbere, quibus paratum est. Ex quibus, primo soluto, alterum etiã patebit. Quid igitur est quod dicit, nullus profectò à dextris, nullus à sinistris eius sedebit? Inaccessibilis quippè sedes est illa, non hominibus dico solùm, sed Angelis, sed Archangelis, cęterisque Virtutibus. Quod quasi præcipuum vnigeniti priuilegium Paulus posuit, dicens: Ad quem autem Angelorum dixit vmquam: Sede à dextris meis? Et ad Angelos quidem inquit: Qui facit Angelos suos spiritus: ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. ℟. Isti sunt, qui viuentes in carne plantauerunt Ecclesiam sanguine suo. *Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Calicem Domini.

Lectio viij.

QVomodò igitur dixit: Sedere à dextris, vel sinistris meis, non est meum dare? An quia consessuri alij sunt? Minimè inquam. Ad mentem enim interrogantium condescendens, respondit: Non enim de sublimi sede illa, quæ ad dexteram Patris est, aliquid sciebant, qui vel multò inferiora, quæ quotidiè auribus eorum inculcabãtur, nõ percipiebant: vnum solũ quærebãt, præfectura potiri, & omniũ se primos apud eum constitui: quodq; iã diximus, cùm duodecim sedes audijssent, ignorantes quid dicebatur, primatũ confessus postularunt. Quid igitur ait Christus? Propter me quidẽ, ac prædicationis meæ gratia moriemini, & meæ passionis participes eritis: sed non est id satis ad primum locũ, atq; ordinẽ obtinendum. Nam si quis postea veniet martyrio, aut aliarum omniũ numero virtutũ ita decoratus, vt nõ parùm excedere vos videatur,

nolite credere, quia vos amo, cæterisq; antepono, idcircò eo, qui maioribus nitet operibus, expulso, vobis primum me locum daturum.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam. * Quorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna.

℣. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiã. * Quorum doctrina. ℣. Gloria Patri. * Quorum.

Nona Lectio de S. Pantaleone Martyr. vt in Breuiario, die xxvij. Iulij, & de eo fit commem. in Laud.

In Vesper. à cap. fit de SS. Nazario, & alijs Martyr. cum comm. Octa. S. Iacobi.

DIE XXVIII. IVLII.

Fit de SS. Nazario, & alijs Martyr. semid. vt in Breu. cum commem. Oct. S. Iacobi.

In secundis Vesp. à cap fit de S. Martha, cum commem. SS. Nazarij, & aliorum Mart. & Oct. S. Iacobi, ac SS. Felicis, & aliorum Martyr.

Si festum SS. Nazarij, Celsi, & c. venerit in Dominica, transfertur post Octa S. Iacobi, in diem vij. Augusti, cum nona Lect. & com. S. Donati Episc. & Mart.

DIE XXIX. IVLII.

Fit de S. Martha Virgine, semidup. vt in Breuiar. cum commem. Octa. S. Iacobi, & SS. Felicis, &c. Mart.

In ij. Vesp. à cap. fit de Octa. S. Iacobi, cum comm S. Marthæ, & SS. Abdon & Sennen Mart.

Si festum S. Marthæ in Dominica venerit, transfertur in fer. ij. cum nona Lectio. SS. Abdon & Sennen & commem. Oct. & SS. Abdon & Sennen.

DIE XXX. IVLII.

Sexta die infra Octau. S. Iacobi

In primo Noctur. lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno,

De sermone S. Ambros. Episcop.

Ex tract. de fide, lib. 5. cap. 5.

Lectio iiij.

QVæro nunc, vtrùm possibile aliquid humanæ conditioni, aut alicui creaturæ, an impossibile putent, à Zebedæi coniuge, & filijs postulatum? Si possibile, quomodo ad sinistrã suam; vel ad dexteram impertiendæ Apostolis sedis non habuit potestatem, qui omnia fecit esse, cùm non erant? Aut quomodo non poterat iudicare de meritis hominum, cui Pater dedit omne iudicium? Notum est, quemadmodum dedit. Nam quomodo quasi indigens accepit Filius, qui omnia creauit ex nihilo? Quorũ igitur naturas fecerat, eorum iudicium non habebat? Dedit autem Filio Pater omne iudicium, vt omnes, inquit, honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

℟. Vidi coniunctos viros, vt post iiij. Lect. die xxvj. fol 60.

Lectio v.

NOn igitur potentia filij, sed cognitio nostra proficit. Neque aliquid ad substantiam eius accedit, sed ad nostram vtilitatem, quod à nobis cognoscitur, vt cognoscendo Dei filium

vitam habeamus æternam. Cùm autem in cognitione filij Dei honor illius, noster autem, non illius sit profectus, si quis putat, quòd Dei virtus illo honore cumulatur, necesse etiam est, Deum patrem credat posse cumulari: quòd & ipse per cognitionẽ nostrã clarificatur, sicut Filius: iuxta quod scriptum est, dicente Filio: Ego te clarificaui super terram. Ergo si possibile aliquid erat, quod petebatur, in potestate vtique Filij fuit.

℟. Beati estis, vt post quintam Lect. die xxvij 60.

Lectio vj.

SEd tamen ostendant, qui possibile putant, quis de hominibus, aut cæteris creaturis, aut ad dexteram, aut ad sinistram Dei sedeat. Pater enim dicit Filio, Sede ad dexteram meam. Itaque si quis ad dexteram Filij sedet, inter ipsum vtique, & Patrem (vt humano vsu loquamur) Filius medius reperitur. Non ergo possibile homini aliquid petebatur: sed noluit dicere, quòd homines sedere secum non possent, siquidem diuinam suam gloriam celare, priùs quàm resurgeret, non diuulgare cupiebat. Nam & suprà, cũ inter famulos suos Moysen & Eliam apparuisset in gloria, monuerat discipulos, ne cui dicerent, quod vidissent. Itaque si possibile non erat hominibus, vel creaturis cæteris hoc mereri, non debet videri Filius minùs posse, quia non dedit Apostolis, quod nec Pater hominibus, vel creaturis dedit.

℟. Isti sunt triumphatores, vt post sextam Lectione die xxvij. fol. 61.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XX.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

De Homil. S. Ioan. Chrysost.

Homilia 66. in Matthæum.

SEdere autẽ à dextris, & à sinistris, non est meum dare: sed quibus paratum est à Patre meo. Quibus porrò paratum est? Illis, videlicet, qui fulgentissimis operibus euasuri sunt. Idcircò verò dixit: Non est meũ dare, sed Patris mei, ne quis infirmum, atque impotentem ad hanc ipsum fore retributionẽ opinetur. Sed quonam modo? Non est meum, inquid, sed quibus paratum est. Verùm, vt clarius fiat, quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur munerum, atque certaminis, quo multi, atque præclari athletæ cõfluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate cõiũctos accessisse fingam⁹: qui amicitia principis freti, postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronẽtur: quibus ille respondeat: Nõ est meũ id dare, sed quib⁹ labore, atque sudore pręparatũ est.

℟. Isti sunt, qui viuentes, vt post Lectionem septimam die xxvij. fol. 61.

Lectio viij.

CVr igitur, quasi non potentem illũ id facere condem-

nabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur. Et quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editionis munerum, atque certaminis principem, non quia non potest, sed quia nō vult luctationis transgredi leges, & iustitiæ ordinem conturbari: sic vtique Christum id dixisse affirmamus. Ita vndique illos compellebat in gratia Dei primùm, deinde in laboribus proprijs omnem salutem, & gloriæ spem ponere; ideò dicit: Quibus paratum est. Nam etsi alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quā vos opera facturi sunt, quomodo illis expulsis, locū eorum vos occupabitis? An quia mei discipuli estis, idcircò, etiam si non digni primatu eritis, prēmia tamē quoque consecuturos vos arbitremini?

℟. Isti sunt viri, vt post Octauā Lectionem die xxvii. fol. 62.

Lectio nona de SS. Abdon & Sennen martyrib. vt habetur in Breuiario, die xxx. Iulij, & de eis fit comm. in Laudibus.

DIE XXXI. IVLII.

Septima die infra Oct. S. Iacobi, semid.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Ex tractatu S. Augustini super Psalm.

In Psalm. 44. ad 18. versum.

Lectio iiij.

PRo patribus tuis nati sunt tibi filij: Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt: ipsi prædicauerunt: ipsi patres. Sed numquid nobiscū corporaliter semper esse potuerunt? Etsi vnus ipsorum dixit: Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis optimum est: manere autem in carne necessarium propter vos, dixit hoc quidem, sed quandiu hic manere potuit? Numquid vsque ad hoc tempus? Numquid vsque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est, pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. ℟. Vidi coniunctos viros, vt supra. fol. 60.

Lectio v.

HOdie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres ipsos appellat: ipsa illos genuit: & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia nō vides Petrum, quia non vides Paulum: quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Vide templum Regis quàm latè diffusum est: vt nouerint virgines, quæ non adducuntur in templum Regis, non se ad istas nuptias pertinere. ℟. Beati. fol. 60. vt supra.

Lectio vj.

PRo patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Hæc est Catholica Ecclesia. Filij eius

cõstituti sunt principes super omnem terram: filij eius constituti sunt pro patribus. Agnoscant, qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem: adducantur in templum Regis. Tẽplum suum Deus vbique collocauit, & fundamenta Prophetarum, & Apostolorum vbique firmauit, filios genuit Ecclesia: constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram. ℟. Isti sunt triumphatores, vt supra, fol. 61.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euãgelij secund. Matth. Lectio vij Cap. XX.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcopi.

Comment. in Matth. cap. 20.

NOn sine aliquo momento rerum ita effectum fuisse existimandum est, vt mater filiorum Zebedæi Dominum deprecaretur. Numquid & filijs petendi familiaritas non erat? Sed erat gestorum effectibus Prophetandum. Apostoli quidem iam ex lege crediderant, quæ eos in fide Euangelica nutriuerat. Itaque in matre filiorum Zebedæi lex intelligitur, quæ confidentia priuilegij sui pro credentibus ex se populis deprecatur. Quæ quia superiùs audierat, primos nouissimos, & nouissimos primos futuros, deferri filijs suis orat, vt in Domini regno vnus ad dexteram eius sedeat, alter ad sinistrã. Cui Dominus respondit, nescire eam quid oret.

℟. Isti sunt, qui viuentes, vt suprà, fol. 61.

Lectio viij.

NIhil quidem de gloria Apostolorum ambigebatur: & iudicaturos eos sermo superior exposuit. Denique in medio sermone, an calicem suum possent bibere interrogat. Non vtique de communis poculi genere loquebatur, nec enim labor est bibere de calice: sed ille de calice sacramenti passionis interrogat. At illi, qui iam Martyrij libertatem, constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur. Dominus collaudãs eorum fidem ait, Martyrio quidem eos secum cõparari posse, sed læuæ eius, ac dexteræ assidere, alijs à Deo Patre fuisse dispositum. Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iste alijs est reseruatus, quòd tamen nec Apostoli ab eo erũt alieni, qui in duodecim Patriarcharũ sedibus considentes Israelem iudicabunt.

℟. Isti sunt viri, vt sup. fol 62.

Lectio ix.

ET, quantum sentire ex ipsis Euangelijs licet, in regno cælorum Moyses & Elias assidebunt. Nam cùm spopondisset Dominus visuros quosdam de Apostolis, antequàm mortem gustarent, filium hominis venientem in regno suo, assumptis Petro, & Iacobo, & Ioanne, apparuit cum gloriæ suæ habitu, Moyse, & Elia in monte comitantibus. Cæterùm, vt ratio spiritualis intelligentiæ plena esset, pro duobus Dominum mater orat. Duæ enim

ſunt vocationes ex Iſrael : vna diſcipulorum Ioannis : altera Apoſtolorũ, & Phariſæorum. Nã poſt paſsionem Ioannis ſuperiùs legimus, diſcipulos eius ad Dominum tranſijſſe. Ideò igitur pro duobus oratur, quia Euangelio Chriſti hæ vocationes geminæ crediderunt.

Te Deum laudamus.

Ad Veſper. omnia de die octauo S. Iacobi, vt in primis Veſper. feſti, cum commemor. SS. mart. Machab. vt in Breu.

A V G V S T V S.

DIE j. AVGVSTI.

In Octaua ſancti Iacobi Apoſtol duplex.

Feſtum autem ſancti Petri ad Vincula transfertur in diem ſequentem, niſi ſit Dominica.

In primo Noct. leguntur Lection. de Scriptura occurrenti.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 43. de Sanctis.

Lectio iiij.

SI omnium Sãctorum Martyrum grata nobis debet eſſe ſolemnitas, fratres chariſsimi, quãtò gratior eorum, qui præſentem ſecuti ſunt principem Martyrũ? Si agnorũ, quantò magis arietũ? Illorum enim filij, nõ generatione carnis, ſed imitatione virtutis facti ſunt omnes, qui poſteriꝰ vſque ad mortẽ confeſsi ſunt Chriſtum. Hos obtulerũt populi gentiũ, de quibus pſalmus ante cantauit, dicens: Afferte Domino filios arietum : Hic primũ Dominus cùm ad confeſsionẽ ſui nominis hortaretur, non ſolùm ſe promiſit victoriæ coronatorem, ſed & certaminis adiutorem. Etiã in ipſis, & poſteros admonebat, quoniam quod dicebat, ſcriptum poſteris relinquebat. Illis ergo ait, exhortans eos: Cùm adducẽt vos ad principes, & poteſtates, nolite cogitare quid reſpondeatis, vel quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præſumptionem humanam, & gratiã dare diuinã, vt in ſemetipſis timidi, & mundo eſſent audaces. Vnde & in alio pſalmo vox Martyrũ dicit, quaſi ex parte humanæ fragilitatis verendo: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Et paulò poſt de auxilio diuino confidens, dicit: Fortitudinẽ meam ad te cuſtodiam.

℞. Vidi coniunctos viros, vt ſuprà, fol. 60.

Lectio v.

SVpra cæteras enim turbas fidelium, necnon antiquorum iuſtorum, & Prophetarum, eminentes Apoſtolos ſuos volens Dominus oſtendere, dixit ad eos: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi enim Prophetæ, & iuſti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt. Item alibi: Iam, inquit, non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autem

dixi amicos, quia omnia quæcũque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Item ait idem alio loco: Quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Item alibi sciscitanti Petro, quid sibi, & socijs suis profuisset reliquisse omnia, & sequi Redemptorem, respondit, dicẽs: Amẽ dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim; iudicantes duodecim tribus Israel. ℟. Beati estis, vt supra, fol. 60.

Lectio vj.

ISti sunt lux mundi, quia per ipsos lumen fidei, & veræ sciẽtiæ primum Dominus huic mundo tradidit: & ab errorũ, ac peccatorum tenebris gẽtes, & populos eruit. Isti sunt sal terræ, quia per eos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, vt restringerent carnis lasciuiam, & à putredine peccatorum, & vitiorum vermibus seruarentur illæsi. Isti sũt lapides pretiosi, quos in fundamento cælestis ædificij positos Ioãnes in Apocalypsi sua describit, quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamẽta locauit. Vnde & Paulus ait. Vos estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Isti sunt duodecim portæ Ierusalem nouæ, quæ de cælo descendit: quia per ipsos ianuam fide primùm intrauimus, & inter ciues sanctorũ adnumerati sumus. ℟. Isti sunt triumphatores, vt supra, fol. 81.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XX.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosij Episcopi.

Lib. 5. de Fide ad Gratianum, Cap. 3. tom. 2.

COnsiderandum est, quæ mater filiorum Zebedæi cùm filijs, & pro filijs petat. Mater est vtique, cui pro filiorum honore solicitæ, immoderatior quidem, sed tãmen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæua, studio religiosa, solatio destituta: quæ tunc temporis, quandò vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur: & voluntati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum: qui prima voce vocati à Domino (vt legimus) relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

℟. Isti sunt, qui viuentes, vt supra, fol. 61.

Lectio viij.

HÆc igitur studio maternæ sedulitatis indulgẽtior obsecrabat Saluatorem, dicens: Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo. Etsi error; pietatis tamen error est. Nesciunt enim viscera materna patientiam. Et si voti auara, tamen

veniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ est auida, sed gratiæ. Nec inuerecũda petitio, quæ non sibi, sed liberos consulebat, Matrẽ cõsiderate: matrem cogitate.

℞. Isti sunt viri sancti, vt suprà. fol 62.

Nona Lectio legitur de SS. Machabæis, vt in Breuiario die primo Augusti, de quibus fit commem in Laudibus.

Vesperæ dicuntur integræ de S. Petro ad Vincula; cum comm. S. Pauli, Octauæ S. Iacobi, & S. Stephani Papæ & Martyris.

Si autem dies Octauæ celebretur in Sabbato, Vesperæ dicantur de Octaua, cum commemorat. Dominicæ, & S. Stephani Papæ & Martyris.

DIE II. AVGVSTI.

Fit de S. Petro ad Vincula officiũ, **duplex maius**, vt in Breuiario die prima Augusti (**fuit heri**) cum nona lectione S. Stephani, ex duabus fiat vna, & commem. S. Pauli & S. Stephani.

In secundis Vesperis post com. S. Pauli fit comm. Inuentionis S. Stephani Protomart. vt in Breu. die iij. Augusti.

Si dies secunda Augusti fuerit Dominica, festum S. Petri trãsfertur in diem septimum huius mensis, cum nona lectione S. Donati Episcopi & Martyris, & commem. S. Pauli, & S. Donati, & in vtrisque Vesper. seruetur hic ordo.

In secundis Vesperis Transfigurationis Domini fit comme. S. Petri, S. Pauli, & S. Donati: & in secundis S. Petri, fit commemora S. Pauli & SS. Cyriaci, &c. Mart. vt in Breu. & tunc festum SS. Iusti & Pastoris transfertur, vt infrà dicitur.

DIE VII. AVGVSTI.

In festo sanctorum Iusti, & Pastoris fratrum Martyr. **semiduplex, fuit heri.**

Omnia dicuntur de communi plurimorum Martyrum præter Lectiones, quæ sequuntur propriæ.

In secundis Vesperis Transfigurationis Domini fit commem. SS. Iusti, & Pastoris, nisi transferantur. Aña. **Istorum est enim.** ℣. **Lætamini in Domino.** Oratio. D**eus, qui nos concedis,** de eodem communi, posteà fit comme. S. Donati Episcopi, & Martyris vt in Breuiario.

Si dies vij. Augusti fuerit Dñica, festum SS. Iusti, & Pastoris, transfertur in diem nonum, cum nona lect. & commem. vigiliæ S. Laurentii, & S. Romani Mart. & in Vesp. S. Laurentij nihil fit de SS. Iusto, & Pastore.

Eodem modo transfertur hoc festum in diem nonum, quando in diem septimum transferuntur propter Dominicã, festa SS. Nazarij, Celsi, &c. Mart. vel Inuent. S. Steph. Protomart.

Si verò in hunc diem septimum transferatur festum S. Petri ad Vincula ob diem Dominicum, tunc festum SS. Iusti, & Pastoris trãsfertur in diem xxv. huius mensis, cum nona lectione, & commemorat. S. Ludouici Confessoris, & in vtrisque Vesper. fiet hoc modo.

In secundis Vesper. S. Bartholomęi Apostoli fit commemorat. SS. Iusti, & Pastoris, & sancti Ludouici, & in secundis SS. Iusti, & Pastoris, fit commemor. S Zephyrini Papæ, & Martyr. vt in Breuiario.

In primo Noctur. Lectiones.

Fratres, debitores sumus, de cōmuni plurimorum Martyr.

In secundo Nocturno.

Ex S. Isidoro in Missali, & Breuiario Toletano, & alijs Breuiarijs Toletanis: & B. Ildefonso de Viris illustribus.

Lectio iiij.

IVstus & Pastor germani fratres Complutenses, illustre Christo Domino testimonium dederunt, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Nam cùm Dacianus præses Complutum ingressus, Christianos omnes perquiri iuberet, vt aut fidem Christi detestati idolis sacrificarent, aut acerbissimis cruciatibus interficerentur, Iustus & Pastor pueruli magno sunt pro Domino moriendi desiderio incensi. Itaque proiectis tabellis, quibus prima literarum rudimenta continebãtur, quò Christum meliùs discerent, è ludo literario neque vocati, neque appellati in domũ iudicis properant: Christianos se esse publicè profitentur, & pro Christi fide supra ætatem, & corporis vires læti, atque alacres tormentorum cruciatibus sese vltrò offerunt. Quos Dacianus, tamquam pueros, iubet verberibus ab ea mente deterreri. ℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, seruiẽtes præceptis tuis, vt inuenirentur illę si in aquis validis. *Terra apparuit arida: & in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquę & torrentes inundauerunt. Terra.

Lectio v.

DVm ad verbera ducuntur, mutuò se ad supplicia fortiter subeũda nouelli agni cohortabantur. Nam Iustus minor natu timens fortè, ne de sua frater constantia diffideret, sic prior Pastorem alloquitur: Nihil, Pastor frater, timeas mortem corporis, quæ nos circunstat: nec tormenta, quæ nobis parata sunt, quasi tenella nostra ętate grauiora; excipe iugulo securus gladiũ: nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatur, dabit etiam vires cruciatibus pares. Ad hæc pastor: Meritò, Iuste frater, sic te decet hortari, vt iustitiam quã nomine præfers, re ipsa præstes, eiusque fructus mecum vnà percipias. Ego verò libenter socium me tibi præbebo martyrij, vt tecum huius certaminis gloriã adipiscar. Quorum sermones cũ satellites ad Dacianum retulissent, veritus ille ne reliqui Christiani tanto excitarentur exẽplo, eiusque crudelitas, si in certamen descenderet, à pueris vinceretur, extra oppidum procul ab hominum frequẽtia sanctissimos pueros abripi iubet, & silentio occidi. Itaque in campum, qui Laudabilis est appellatus, abducti, octauo Idus Augusti gladio feriuntur. Et, vt à maiorib⁹ accepimus,

iugulati sunt super lapidem, qui Compluti in honore est, & adhuc seruat sacrati martyrij impressa vestigia.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine.* Vt hæredes fierent in domo Domini.
℣. Tradiderũt corpora sua propter Deum ad supplicia. * Vt hęredes fierent.

Lectio vi.

POst discessum Daciani, Christiani beatissima puerorum corpuscula eo ipso loco honorificè sepelierunt: quæ durãte persecutione, & nouis deinceps sẽper bellis Hispania exagitata, obliuioni traduntur, donec lõgo post tempore Asturio Toletano Archiepiscopo viro sanctissimo diuinitus commonstrata sunt. Qui cęlestem thesaurum pro dignitate æstimans, Complutum venit, eumque pretioso tumulo condidit: tantaque veneratione prosecutꝰ est, vt Toletana sede relicta, primus Complutẽsem Episcopatum constituerit, ac reliquũ vitæ tẽpus in honorandis sanctissimis pueris collocarit, neque ampliùs se ab eis diuelli passus sit. Deinde sacratissimæ sanctorum fratrum reliquiæ, Sarracenis Hispaniam vastantibus vario successu Oscensem in vrbẽ translatæ sunt. Quarum magna pars inde, anno Domini millesimo, quingentesimo, sexagesimo octauo, Nonis Martij, iussu Pij V. sanctæ memoriæ Pontificis maximi, & Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici, Complutum relata, atque honestissimo in loco reposita, summa religione colitur. ℟. Tamquam aurum in fornace probauit electos Dñs, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tẽpore erit respectus illorum.
* Quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligẽt veritatem & fideles in dilectione acquiescẽt illi. * Quoniam donum. ℟. Gloria Patri. * Quoniam donum.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. CAP. XI.

IN illo tempore: Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Sermone 8. de Verbis Domini.

QVid est hoc, fratres? A contrario sensu intellige: Abscõdisti hæc, inquit, à sapientibus, & prudentibus: & non dixit: Reuelasti ea stultis, & imprudentibus: sed ait: Abscondisti quidem à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientibus, & prudentibus irridendis, arrogantibus, falso grãdibus; verè autem tumentibus, opposuit nõ sapientes, nõ prudentes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? Humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus. ℟. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis. * Quia vnus fuit semper spiritus in eis, &

vna fides. ℣ Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quia vnus.

Lectio viij.

NOmine sapientium, & prudentium superbos intelligi posse, ipse exposuit, cũ ait: Reuelasti ea paruulis. Ergo abscondisti non paruulis: Quid est non paruulis? Non humilibus? Quid est non humilibus, nisi superbis? O via Domini! aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultauit, nisi quia reuelatũ est paruulis? Debemus esse paruuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapiẽtes, & prudentes, nõ nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? Sapiẽtes, & prudẽtes: dicẽtes se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es, die te stultum, & sapiens eris. ℟ Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum. * Contemnentes aulam regiam, peruenerũt ad regna cælestia. ℣ Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. * Contemnentes. ℟ Gloria Patri. * Contẽnentes.

Lectio ix. de S. Donato, vt in Breuiar. die vij. Augusti, & de eo fit commemor. in Laud. In secundis Vesp. à Capitulo fit de SS. Cyriaco, & socijs, vt in Breuiario, die viij. Augusti, cum commem. SS. Iusti & Pastoris: nisi fuerit Sabbatum, quia tunc à capitulo fit de Dominica secunda Augusti. Aña **Ego in altissimis habito**, cum commemor. SS. Iusti & Pastoris, & festum SS. Cyriaci, & sociorum, transfertur in feriam secundam sequentem cum ix. lectione, & commemorat. Vigiliæ S. Laurentij, & S. Romani.

DIE XIJ. AVGVSTI.

In Ecclesia Matrice, intra chorũ tantùm fit de S. Clara virgine **officium duplex.** Oratio. **Exaudi,** de communi, & fit commemoratio Octauæ sancti Laurentij, in vtrisque Vesperis & Laudibus.

Omnia de communi Virginum, præter lectionem quartam, quæ habetur propria.

In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno, lectio quarta propria, vt in Breu. die xij. Augusti, Lectio quinta & sexta, de sermone S. Ambrosij: **Quoniam hodie natalis est virginis,** de communi Virginum.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Euangelium. **Simile est regnum cælorum decem virginibus,** de eodem communi. Extra chorum fit de die iij. infra Octau. S. Laurentij, cum ix. lectione, & commemor. sanctæ Claræ in primis Vesperis & Laudibus.

SEPTEMBER.

DIE XXIJ. SEPTEMBRIS.

In Ecclesia Matrice fit de SS. Mauritio, & socijs **officium duplex,** eo quòd in ea habetur caput vnius ex socijs eius.

Omnia de communi plurimorum Mart. præter Orationem, & quartam Lectionem, quæ sunt propria, vt in Breuiario.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrenti: sed si hoc festum venerit in Quatuor temporibus, leguntur de Epistola ad Romanos. Fratres, debitores sumus, de eodem communi.

In secundo Nocturno, Lectio iiij. erit propria, Lect. v. & vj. de Sermone S. Augustini. Quotiescumque, fratres charissimi, de cõmuni plurimorum Mart.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Euãgelium. Cùm audieritis prælia, ex eodẽ communi. Extra Ecclesiam fit officium, vt in Breuiario die xxij. Septembris.

OCTOBER.

Die j. Octobris.

In Ecclesia Matrice fit de S. Germano Episc. & Confess. officium duplex, eo quòd in ea habetur caput S. Germani.

In secundis Vesp. S. Hieronymi, à capit. fit de S. Germano, de cõmun. Confess. Pont. Oratio. Exaudi quæsumus, cum cõmem. S. Hieronymi, & S. Remigij Episc. & Confess. Pro S. Hieronymo Aña. O Doctor optime. ℣. Iustum deduxit. Pro S. Remigio Aña. Euge serue bone. ℣. Elegit eum Dominus. Oratio. Da quæsumus, de eodem communi.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno, Lectiones de Sermone S. Maximi Episcopi. Beati Patris, de communi Confess. Pontif.

In tertio Noctur. Homilia S. Hilarij Episcopi in Euangelium. Vigilate, quia nescitis.

Si non fuerit Dominica, nona Lectio erit de S. Remigio, vt in Breu & de eo fit com. in Laudib. Aña Sacerdos, & Põtifex. ℣. Amauit eum. Oratio. Da quæsumus. Extra Ecclesiam fit die S. Remigio, vt in Breuiario.

Die vij. Octobris.

In Ecclesia Matrice fit de S. Marco Papa, & Confess. officium duplex, ex mandato Pauli Papæ Quinti, cum commem. SS. Sergij, & aliorum Martyr. in primis Vesp. & Laudib.

Omnia de communi Confess. Ponti. præter Orationẽ, & quartam lectionẽ, quæ habentur propriæ, vt in Breuiario.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secũdo Nocturno, Lect. iiij. erit propria, Lect. v. & vj. de Sermone S. Maximi Epis. Beati Patris, de eodem comm.

In tertio Noctur. Homilia S. Hilarij in Euangeliũ. Vigilate.

In secundis Vesper. Ad Magni. Aña. Dũ esset summus Pontifex. Extra Ecclesiam fit officiũ, vt in Breuiario.

Die xxj. Octobris.

In Ecclesia Matrice fit de S. Vrsula & socijs eius, virginibus, & Martyribus, officiũ duplex eo quòd habentur in ea multa capita Virginum: & vbi fuerit caput alicuius Virginis, idem fiet.

Omnia de communi Virginũ & Martyrum, Oratio propria, vt in Breuiario, cum commemorat. S. Hilarionis Abbatis.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurenti.

In secundo Nocturno, lectiones ex libro S. Cypriani Episcopi. Nunc nobis ad Virgines, de eodem communi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Euangeliũ. Simile est regnum cælorum decem virginibus, de communi Virginum. Lectio ix. de S. Hilarione Abbate; ex duabus fit vna, & de eo fit commemor. in Laud. Quòd si venerit in Dominica, nona lectio erit de Homilia Dominicæ, cum eius commem.

Vbi non habetur caput, fit de S. Hilarione, cum commemor. virginum & mart. vt in Breuiario die xxj. Octobris.

DIE XXV. OCTOBRIS.

Dedicatio Ecclesiæ Toletanæ duplex.

Omnia de communi Dedicationis Ecclesiæ, præter lectiones secundi Nocturni, quæ hic sunt propriæ, cum ix. Lectione, & cõmem. SS. Chrysanthi & Dariæ mart. in vtrisque Vesp. & Laud. vt in Breuiario, die xxv. Octob.

In propria Ecclesia, & ciuitate Toletana celebratur duplex primæ clasis, sine commem. & nona lect. SS. Chrysanthi & Dariæ.

Si hoc festum venerit in Dominica, fit de festo, cum ix. lectione, & commem. Dominicæ in vtrisque Vesp. & Laud. etiam in propria Ecclesia, & ciuitate Toletana: & tunc extra Toletum, post commemor. Dominicæ fit commi. de Sanctis, sine Lectione.

In primo Nocturno Lectiones. Cùm compleuisset Salomon de eodem communi. Dedicat.

In secundo Nocturno.

Ex B. Ildefonso, Ruderico Toletano De Regũ donationibus, & testamẽtis.

Lectio iiij.

INter loca sacra, quæ in Hispania ab ipsis Gothorum Regum temporibus magnam venerationem habuerunt; templum est in primis Toletanum; quod Beatissima Virgo Maria, sancto Ildefonso pontifice, sua præsentia illustrare dignata est. Itaque vt idem Ildefonsus de hoc ipso templo loquens ait, corã timentibus Deum, iniquis, atque iustis, habetur locus terribilis, omniq; veneratione sublimis. Cuius templi gloria Sarracenorum Hispaniam inundantium impetu oppressa est, donec Alfonso sexto Rege, è Barbarorum manibus regia vrbe recepta, Bernardus Archiepiscopus, depulsis vanę superstitionis tenebris, tẽplum hoc Christianæ religionis splendori priuatim primùm restituit.

℟. Orantibus in loco isto. Dimitte peccata populi tui Deus, & ostende eis viã bonam, per quã ambulẽt, & da gloriã in loco isto.

℣. Qui regis Israel intẽde, qui deducis velut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubim. Dimitte.

Lectio v.

MVltis deinde præsentibus Episcopis, & infinita pro-

pemodum multitudine, octauo kalend. Nouembr. Deo in honorem B. Mariæ semper Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Crucis, ac B. Stephani Protomartyris solemni ritu, & maxima celebritate dedicauit: multasque insignes sanctorum reliquias, quas Roma rediens ab Vrbano II. in antiqua Primatus dignitate confirmatus, secũ attulerat; & quas à Rege, atque Regina oblatas acceperat, in summo altari collocauit: quarum hodie in sacro ærario reconditarum præsentia, Toletanus populus, ac beneficijs lætatur. Ferdinandus demum tertius Rex, qui propter virtutum excellentiam sancti cognomen est consecutus, Ecclesiam vetustam, quæ mesquitæ formã adhuc retinebat, demoliri constituit, & nouam eodem ipso in loco ædificare aggressus est, hortatore Ruderico Archiepiscopo Toletano, atque adiutore, vnà cum Rege primum fundamenti lapidem collocauit.

℞ O quàm metuendus est locus iste. Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. ℣ Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. Verè.

Lectio VI.

CReuit postea mirificè populorum pietate amplitudo Toletani huius templi, quod singulari in Beatam Mariam studio fidelium votis locupletatum est. Quocirca, quòd esset ab ipsa sanctissima Virgine consecratum multi Reges illud maximis muneribus ornarunt, in eo sibi, suisque locum sepulturæ delegerũt: & quando in Mauros mouebãt, numine imprimis hoc in templo placato, & beata Maria propitia sæpe in bellum profecti sunt: & regium signum, ac militaria vexilla sacris precationibus ibidem benedicta in fidei hostes extulerunt; ex omnibusque Hispaniæ prouincijs, eò, religionis, & voti causa ipsi reges, & plurimi mortales ventitarunt, introeuntes in tabernaculum Domini, & adorantes in loco, vbi steterunt pedes eius.

℞ Manè surgens Iacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vouit Domino. Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam. ℣ Cũque euigilasset Iacob de somno, ait. Verè. ℣ Gloria. Verè.

In tertio Nocturno, Homilia in Euangelium. Ingressus Iesus perambulabat Ierico. vt in eodem Dedicationis communi.

In secundis, Vesp. extra ciuitatem fit commem S. Euaristi Papæ & mart. Aña. Iste sanctus. Vers. Gloria. Oratio. Infirmitatem. de commun. vnius mart.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

In propria Ecclesia, & ciuitate Toletana per dies sequentes fit de Octaua Dedicationis Ecclesiæ Matricis, eo ordine, quo ponitur in Breu. in cõmu. Dedicationis.

Hodie fit de Octaua, vt in secunda die infra Oct. cum nona lectione, & commem. S. Euaristi Papæ, & mart. vt in Breuiario.

Si hæc dies fuerit Sabbato, nona lectio legitur de Homilia Vigiliæ SS. Apostolorum Simonis & Iudæ, & fit commem. de ea in Laudib. tantùm, postea de S. Euaristo sine eius lectione.

DIE XXVIJ. OCTOBRIS.

Fit de Octaua, vt in tertia die infra Oct. cum ix. lect. & cõmem. Vig. SS. Apostolorum Simonis & Iudæ in Laud. tantùm.

DIE XXVIIJ. OCTOBRIS.

Fit de SS. Apostol. Simone, & Iuda. duplex secundæ clasis. vt in Breu. sine commem. Oct. in primis Vesp. & Laud.

In secundis Vesp. fit commem. Octau. nisi hoc festum celebretur in Sabbato, quia tunc fit cõmem. de Dominica sequenti, & non de Octaua.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

Fit de Octaua, vt in quinta die infra Octauam, cum secundis Vesperis.

DIE XXX. OCTOBRIS.

Fit de Octaua, vt in sexta die infra Octau. cum secundis Vesp.

Si hæc dies fuerit Sabbatum, nona lectio legitur de Homilia Vigiliæ omnium Sanctorum, & fit comm. de ea in Laudibus tantùm: & tunc in Vesp. à cap. fit de Dominica, cum comm. Octau.

Hodie in Ecclesia Matrice intra Chorum tantùm fit de Victoria Benamarin apud flumen Salsum, duplex maius, vt in festo triumphi S. Crucis, die xvj. Iulij. fol. 65. præter lectiones secundi Noct. quæ infra ponuntur, & fit cõm. Oct. in vtrisq; Vesp. & Lau.

Si hoc festum Victoriæ celebretur in Sabbato, nona lectio erit de Vigilia omnium Sanctorum, & in Laud. post commem. Octau. fit commem. Vigiliæ: & tunc in secundis Vesp. fit comm. Dominicæ, & Octau.

In secundo Nocturno.

Ex Chronicis, & Historijs illius temporis, quas recentiores sequuntur.

Lectio iiij.

Albohazes Mauritaniæ Rex Timezeni regno debellato, & multarum ditionum accessione, ac victorijs insolens, magno præterea furore incensus in Christianos, à quibus Abomelicus eius filius paulò ante fuerat cum exercitu cæsus, innumerabiles penè barbarorum copias in Hispaniam traiecit. Iucephum Granatæ Regem belli socium asciuit, Tarifam obsedit: qua expugnata, reliquam Hispaniam se deuastaturũ minabatur, Christianamque religionem funditus euersurũ. Quo tempore Alfonsus vndecimus Castellæ Rex, vt ferocissimi hostis impetum retardaret, diuinum numẽ precibus, ieiunijs, pijs operibus placandũ in primis curauit. A Benedicto XII. sanctissimo Pontifice peccatorũ indulgentias obtinuit: cũ Alfonso IIII. Portugalliæ Rege socero suo Christianæ fidei defendendæ societatem coniunxit.

℟. Nos autẽ gloriari oportet in Cruce Dñi nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. * Per quẽ saluati & liberati sumus. ℣. Tuam Crucẽ adoramus Dñe, & recolimus tuã gloriosã passionẽ. * Per quẽ saluati.

Lectio v.

EXercitum igitur diuini patrocinij ſpe, Cruciſque inſignibus communitum, Alfonſi duo, Caſtellæ, ac Luſitaniæ Reges, Hiſpali in hoſtem ducunt: & ab Aegidio Albornocio Archiepiſcopo Toletano primùm re diuina peracta, Chriſtique Domini noſtri corpore reuerenter ſuſcepto, militum deinde animis peccatorum confeſsione, ac ſacris precationibus confirmatis, & ad pugnam oratione erectis, Caſtellæ Rex aduerſus Albohazem, & numero ſuorum, & virtute confiſum aciem inſtruit. Luſitaniæ Rex in Granatę Regem progreditur: & flumine Salſo tranſmiſſo, noſtri tertiò Kalendas Nouembris anni Domini milleſimi treceenteſimi quadrageſimi prælium cum Barbaris hoſtibus acerrimum committunt.

℟. Dũ ſacrũ pignus cælitus triũphat, Chriſti fides roboratur. * Adſunt prodigia diuina in virga Moyſi primitus figurata. ℣. Ad Crucis cõſpectũ fugantur infideles, & Dei magnalia referantur. * Adſunt prodigia.

Lectio vj.

DIuina virtus maximè hoc in prælio enituit: nam ab exiguo Chriſtianorum exercitu infinitæ propemodum Barbarorum copiæ profligatæ, atque occiſæ ſunt; ex noſtris paucíſsimi deſiderati, Barbari Reges cum paucis equitibus fuga elapſi. Quã obrem Alfonſus Rex Caſtellæ, cuius virtute geſta res eſt, Deo, cuius re vera fuit, tantæ victoriæ beneficium acceptum, referens, Romano Pontifici Benedicto, vt vero Dei Vicario regium vexillum, atque ex hoſtium præda ſpolia pretioſa miſit. Quę ſolemni pompa excepta, & à Pontifice, ſacroque Cardinalium ſenatu diuinis laudibus celebrata ſũt. Itaque in plurimis Hiſpaniæ Eccleſijs eo die anniuerſaria ſolemnitas eſt inſtituta, quo Crucis potentia clariſsimam victoriam Chriſtianis peperit, & de Barbaris hoſtibus triumphauit.

℟. Hoc ſignum Crucis erit in cęlo, cùm Dominus ad iudicãdum venerit. * Tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri. ℣. Cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & cœperit iudicare ſæculum per ignem. * Tunc manifeſta. ℣. Gloria Patri. * Tunc manifeſta.

Die xxxj. Octobris.

Fit de Octaua, vt in ſeptima die infra Octau. cũ ix. lectione, & cõm. Vigiliæ Omnium Sanctorum, ad Laudes tantùm.

In primis Veſp. Omnium Sanctorum, fit commemor. de die octauo Dedicationis, cum Añã & Verſ. ex primis Veſp. feſti.

NOVEMBER.

Die j. Nouembris.

Fit de feſto Omnium Sanctorum duplex primæ claſsis. vt in Breuiario, cum commem. diei Octauæ Dedicationis, in Laudibus, & in ſecundis Veſperis. Si

hoc festum venerit in Dominica post commem. Octau. fit cōme. Dominicæ in vtrisque Vesp. & Laudibus: & ad Matutinum legitur nona lectio de Homilia eiusdem Dominicæ.

DIE. xij. NOVEMBRIS.

In festo sancti Didaci Conf. **duplex,** Ex motu proprio, Clementis VIII. quia eius corpus in hac Diœcesi requiescit.

Festum sancti Martini Papæ, & mart. transfertur in diē xiiij. huius mensis.

Omnia de communi confess. non Pontif. præter Orationem, & lectiones quæ infra ponuntur.

In secundis Vesp. S. Martini Episcopi & Confess. à Cap. fit de S. Didaco, cum commemor. S. Martini Episcopi, vt in Breuiario.

Oratio.

OMnipotēs sempiterne De⁹ qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quęque confundas: cōcede propitius humilitati nostræ, vt pijs beati Didaci Confessoris tui precibus ad perēnem in cælis gloriā sublimari mereatur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno

Lectio iiij.

DIdacus in oppido sancti Nicolai de portu Diœcesis Hispalensis in Hispania natus, adolescens mundi illecebras fugiens, pœnitentis habitu suscepto, in propinquam, solitariam tamen Eccesiam vnà cum pio sacerdote secessit: vbi per aliquot annos Deo in timore, & simplicitate seruiens, corpusque suū domans & in seruitutem redigens, præclarum sanctioris vitæ tyrociniū posuit magna cum oppidanorū ædificatione. Mox vt seipsum Deo arctioribus vinculis adstringeret, in conuentu de Arrizafa fratrum Minorum (qui nunc de Obseruantia nuncupatur) Seraphici sancti Francisci religionem est professus, in qua per omnem vitam laicus permansit, in altissimæ humilitatis fundamento, ac profunda sui ipsius despicientia stabilem sibi domum super petram ædificans. Tanta autem alacritate suaue obedientiæ iugum ferebat, tantoque studio in regulæ obseruatione versabatur, vt eum omnes tamquam viuam, & expressam regularis disciplinæ imaginem admirarentur. Orationi in primis, & cōtemplationi deditus erat, miraque Dei luce perfundebatur, vt quamuis nullis litteris expolitus, sed sapienter esset indoctus, de rebus tamē cælestibus admirandum in modum, & planè diuinitùs loqueretur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit illi claritatem. Lectio v.

GVardianus ad insulas Canarias missus, plurimos adhuc infideles ibi cernens martyrij de-

siderio exarsit: sed Deo illum seruante, vt multos Christo lucrifaceret, non martyrio voluntas, sed voluntati martyrium defuit. Multa tamen in ea Canaria, quæ magna appellatur, perpessus complures ex eisdem infidelibus verbo, & exemplo ad Christi fidem conuertit. Romam veniens anno Iubilei, Nicolao V. Pontifice Maximo, cùm vrbs grauibus morbis, & annonæ inopia laboraret, à Guardiano conuentus Aræcæli ægrotorum curæ præfectus est: quo in munere singularis viri pietas, & apud Deum gratia magnopere enituit: eius enim sanctitati tributũ est, quòd in publicis angustijs omnia apud suos abundarent. Et quidem omni in loco ægrotos fratres omnibus charitatis beneficijs ita prosequebatur, vt etiam quorumdam vlcera lābendo abstergere (quod & alios Sanctos fecisse legitur) non abhorreret. Eximia in eo fides, & gratia curationum eluxit: nam cùm in lampadem, quæ collucebat ante imaginem Beatissimæ Dei genitricis Mariæ, quam summa deuotione perpetuò coluit, digitum immisisset, eius oleo ægrotos inungens, signo Crucis impresso, multorũ morbos admirabiliter sanabat.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradisi coronauit eum.
℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum.
* Et ad portas.

Lectio vi.

CVm autem in Complutensi Cœnobio, in quo multos annos, sine cuiusquam offensione, maxima cum sanctitatis opinione vixit, in supremum incidisset morbum, post miram in eo perferendo patientiam, vitæ finem sibi adesse intelligens, vt fuit semper paupertatis amantissimus, tunicam obsoletam, & laceram, in qua moreretur, à fratribus obtinuit. Qua indutus, ligneа Cruce, quam ad caput habebat, singulari humilitate, ac deuotione manibus assumpta, coniectis in eam oculis, & intimo pietatis affectu, illis verbis ex sacro hymno pronuntiatis, Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna sustinere Regem cælorum, & Dominum, animam Deo reddidit, pridie Idus Nouembris, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Cuius corpus cùm menses non paucos (vt pio satisfieret cõfluentium desiderio) insepultum mansisset, non solùm corruptum non est vlla ex parte, sed odorem suauissimum afflauit. Illum multis, & illustribus post mortem quoque miraculis clarum, Sixtus V. Pontifex Maximus in Sanctorum numerum adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meã. * Quia te vidi iustũ coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & peruenit ad cælestia regna.

Quia

℟. Quia. ℣. Gloria. * Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XVIII.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chrysost.

ET aduocans Iesus paruulũ, statuit eum in medio eorũ, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Curiosè, inquit, scrutamini vos, quis vestrum maior sit, & de primatus honore contenditis: ego autem si quis humiliorem se cæteris non effecerit, ipso ingressu cælesti omnino indignum assero. Rectè autem ante oculos monstratione paruuli totam rem posuit, ipso aspectu eos conuertens, ac persuadens, vt absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudauit Dominum. * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela; verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. * Ipse intercedat.

Lectio viij.

PAruuli autem non inuidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem nouerunt: sed maximã hanc virtutem posside nt, puram dico simplicitatem, & humilitatẽ. Non ergo fortitudine tantùm, ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, & simplicitate nobis opus est: quæ si non adest, salus nostra certè claudicat. Paruuli enim nec si contumelientur, aut verberentur, afficiunt odio: nec si laudantur, aut honorantur, vlla commouentur arrogantia. Vides, quomodo rursus ad præclara naturæ opera nos prouocat, vt ostendat, posse nos voluntatem istam nancisci, & perniciosam Manichæorum rabiem acuto concidit gladio. Si enim natura per se mala est, cuius gratia philosophandi exempla inde trahit?

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suũ, quando reuertatur à nuptijs.

℣. Vigilate ergo: quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos. ℣. Gloria Patri. * Et vos.

Lectio ix.

PAruulum autem ætate, & quidem mea sententia valdè paruulum, qui ab omnibus esset passionibus liber, in medio statuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni liuoris insania, omni cõtentionis cupiditate, cæterisque huiusmodi affectibus immunis est. Cùmq; præcipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet, & humilitatis, de nulla istarum superbit: ita duplici philosophia ornatur: nã & hæc bona possidet, & nihil sibi propter hęc

arrogat. His de causis in medio paruulum statuit. Te Deum.

In secundis Vesperis fit commemor. S. Eugenij Pontif. & Confess. Aña Sacerdos & Pontifex. ℣ Amauit eum. de commun. Oratio. Fiat quæsumus. vt infrà.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In festo S. Eugenij Archiepiscopi Toletani, & Confessoris. semiduplex.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter, ea quæ hic sunt propria.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur post Octau. S. Eugenij mart. in die xxiiij huius mensis, cum nona lectione, & commem. S. Chrysogoni mart. & ex duabus lectionibus fit vna.

Oratio.

Fiat quæsumus, Domine, populus tuus beati Eugenij Confessoris tui, atque Pontificis festiuitate deuotior: & præsta, vt quem habuisse gaudet pastorem in terris, etiam patronum sentiat in cælis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Ex Ildefonso de viris illustribus. Cap. 14.

Lectio iiij.

Evgenius alter, post Eugeniũ (scilicet secundum Helladij discipulum) Pontifex subrogatur. Hic cùm Ecclesię regiæ clericus esset egregius, vita monachi delectatus est, qui sagaci fuga vrbem Cæsaraugustanam petens, illic Martyrum sepulchris adhæsit, ibique studia sapiẽtiæ, & propositum monachi decenter incoluit. Vnde principali violentia reductus, atque in Pontificatum adscitus, vitam plus virtutum meritis, quàm viribus egit: fuit namque corpore tenuis, paruus robore, sed validè feruescens spiritus virtute, studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis vsibus vitiatos melodiæ cognitione correxit: officiorum omissos ordines, curamque discreuit.

Responsoria, vt in ij. Nocturno festi S. Ildefonsi, die xxiij. Ianuarij.

℟ Inueni Dauid. fol. 3.

Lectio v.

Scripsit de Sancta Trinitate libellũ, & eloquio nitidum, & rei veritate perspicuum, qui Lybiæ, & Orientis partibus mitti quàtocyus poterat, nisi procellis resultantia freta inceptum pauidis iter viatoribus distulissent. Scripsit & duos libellos: vnum diuersi carminis metro, alterum diuersi operis prosa concretos, qui ad multorum industriã, eius ex hoc tenaciter sanctam voluerunt commendare memoriam.

℟ Posui adiutorium. fol. 3.

Lectio vj.

Libellos quoque Dragontij de Creatione mundi cõscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea, quę incõuenientia reperit, subtrahendo, immutando, vel meliora conijciẽdo, ita in pulchritudinis formã coegit, vt pulchriores de artificio corrigentis, quàm de manu processisse videãtur

tur auctoris. Et quia de die septimo idē Dragōtius omnino reticē do semiplenū opus visus est reliquisse, iste & sex dierū recapitulationē singulis versib⁹ renotauit, & de die septimo, quæ illi visa sunt eleganter dicta, subiunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasuinthi, & Reccesuinthi Regum, ferè duodecim annis tenēs dignitatem, & gloriam Sacerdotis, sicque post lucis occasum mūdialis, in Basilicæ sanctæ Leocadiæ tenet habitatione sepulchrum.

℟. Iste est, qui ante Deū. fol. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. V.

IN illo tēpore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Et reliqua.

Homilia S. Eulogij electi Archiepiscopi Toletani.

Ex lib. 1. Memorialis Sanctorū.

DOcet fiduciā prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metū, & sint similes lucernæ sub modio: quoniam hi, qui libertatē faciendi verbum in populis diuinitus acceperūt, nequaquam resilire à predicatione veritatis, etiā periculis imminentibus debent, vt nō lucernis sub modio, sed super candelabrum positis comparentur. Et licèt formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persecutionis, non tamen passim hoc obseruandum est à perfectis, qui iam præscia Redēptoris potentia, denotati, & conscripti quasi ab immēsis legionibus, ad exercitū præliorum Dei electi sunt. ℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: stolā gloriæ induit eū. * Et ad portas paradisi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. * Et ad portas.

Lectio viij.

VT si propter veritatē mors cruenta eis occurrat, non curandum est de iactura mēbrorum, vbi sine dubio solatiū vitæ perennis acquiritur animarū, dicēte Dño: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eā. Inde sancti viri placidis auditibus veritatem Euangelicam capientes, eam totis nisibus adimplere contendūt, scilicet, viam sanctæ confessionis virtutem huius præconij esse solummodò arbitrantes: qui illicò relictis vrbibus, & ijs, quæ mundanis hærent affectibus, auida rapiendi regnū Dei cupidine conflagrantes, circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egētes, angustijs afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ, expectantes Dominum, qui saluaret eos à pusillanimitate animi, & tempestate.

℟. Sint lumbi vestri pręcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. ℣. Et vos similes homini-

bus expectātibus dominū suum, quando reuertatur à nuptijs.
℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos. ℣. Gloria Patri. * Et vos.

Lectio ix.

SEd ista pro nihilo computātes, imò verò contra spiritalis nequitiæ hostē, dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei, mortificatione subita temporalis vitæ accenduntur, & secundùm Apostolum dissolui cupiunt, & esse cum Christo: viam compendij requirentes, qua de corpore mortis huius eruti, properè ad cælestem patriam perueniant, & pia violentia regnum Dei arripiant: sic quoq; armati lorica iustitiæ in forum prosiliunt, prædicantes Euangelium Dei Principibus, & nationibus mūdi: super Christum montem excelsum cōtemplatione mentium eleuati. Didicerunt Confessores beati ex Psalmistæ oraculis iustitiam Domini in Ecclesia magna fore annunciandam, & ideò perfecto odio contra aduersarios Ecclesiæ insurgentes, arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigijs, sacrilegijs, & vanitatibus sæculi plena. Te Deum.

In secundis Vesperis à Cap. fit de S. Martino Papa, & Martyr. cum commem. S. Eugenij.

DIE xiiij. NOVEMBRIS.

Fit de S. Martino Papa, & Martyre semiduplex, vt in Breuiario die xij. huius mensis.

Si hæc dies xiiij. fuerit Dominica, festum S. Martini transfertur post Oct. au. S. Eugenij Martyris in diem xviij. cum vna lect. & commemor. S. Chrysogoni, ex duabus fit vna.

DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo S. Eugenij Archiepisc. Toletani Mart. & Patroni, duplex primæ clasis.

Omnia de comuni vnius Martyris, præter ea, quæ hic sunt propria.

Si hoc festum venerit in Dominica, nona lectio legitur de Homilia Dñicæ, & de ea fit comme. in vtrisq; Vesp. & Laud.

Oratio.

DEus, qui præsentem diem B. Eugenij Martyris tui, atque Pontificis martyrio consecrasti, præsta propitius, vt cuius annua celebritate lætamur, eius meritis donum tuę gratiæ consequamur. Per.

In primis Vesp. non fit comme. S. Martini, nec Dominicæ præcedētis, si celebretur hoc festum feria secunda.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. XX.

A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ. Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino, cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem

rem vos publicè, & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens; quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euāgelium gratiæ Dei.

℞. Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit. * Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui cōtempsit vitam mundi, & peruenit ad cęlestia regna. * Fundatus.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniam intrabūt post discesſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinētes, quoniam per triennium nocte, & die non cessaui, cum lacrymis monēs vnumquemque vestrum. ℞. Iustus germinabit sicut lilium. * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. * Et florebit.

Lectio iij.

ET nunc commēdo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hereditatem in sanctificatis omnib⁹. Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis: quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere. Et cū hæc dixisset, positis genibus suis, orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbētes super collum Pauli, osculabātur eum, dolentes maximè in verbo quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri: & deducebant eum ad nauem.

℞. Iste cognouit iustitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit altissimum. * Et inuentus est in numero sanctorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & peruenit ad cęlestia regna. * Et inuentus.

℣. Gloria Patri. * Et inuentus.

In secundo Nocturno.

Ex Breuiarijs, Martyrologijs, & Historijs antiquis, & vita Gerardi Abbatis Broniensis, in qua multa dicuntur de miraculis sancti Eugenij.

Habetur apud Surium tom. 5.

Lectio iiii.

EVgenius Dionysij Areopagitæ discipulus, primus Toletanus Episcopus fuit. Qui Dionysio magistro suo ad Galliam erudiendam relicto, ipse ad Hispaniam Euangelij luce illustrandam profectus, in intima prouinciæ delatus, Toletum venit: vbi plurimos filios Iesu Christo peperit; parens Ecclesiæ Toletanæ, atque institutor fuit. Quam Ecclesiam à se fundatam, vt magis stabiliret, & communicatis concilijs amplificaret, ad Dionysium redijt in Galliam. Quo tempore, Domitiano Imperatore secundam in Christianos persecutionẽ mouente, à Sisinij Præfecti satellitibus comprehensus ad Diolum (quod oppidum non longè à Lutetia Parisiorum abest) de fide sua interrogatus, Christum verũ, & solum Deum se pia mente colere magna libertate professus est. Qua in confessione ab impietatis ministris gladio percussus, martyrio coronatur decimoseptimo Kalendas Decembris.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio v.

COrpus Eugenij, ne à Christianis honore afficeretur, in lacum Marcasium, ei loco propinquum, vbi occisus est, à Gentilibus proiectum, multis sæculis latuit: donec beatus Dionysius Areopagita Hercoldum quendam virum nobilem graui morbo oppressum, per quietem admonuit, vt fratris sui, ac condiscipuli Eugenij corpus ex Marcasio lacu, vbi adhuc iacebat, extractũ honesto loco collocaret. Sanitati restitutus Hercoldus, confestim diuina iussa exequitur: in ignobili loco, nobile corpus inuenit, integrum prorsus atque incorruptum: in Diolo oppido magnificè condidit, vbi etiam templum hac de causa consecratum est. Inde nouo item miraculo in Ecclesiam sancti Dionysij ad Lutetiam Parisiorum posteà translatum est. ℟. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. ℣. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vi.

NAm, cùm populi ex Diolo solemni supplicationum pompa, Dei placandi causa, ad ædem Diui Dionysij aliquando profecti essent, corpusque Eugenij magna veneratione secũ detulissent, vt eo videlicet deprecatore compotes voti à Deo fierẽt, atque re omni diuina confecta, domum redire, & sacratissimas

Eugenij reliquias referre vellent, diuinitus factum est, vt immobiles consisterent, nullaque vi de loco, vbi erant, dimoueri possent. Quocirca pro comperto habitum est, Dei esse voluntatem, vt tunc quidem Eugenij corpus in eo potissimùm templo honoraretur, vbi Dionysij corpus iacebat. Itaque Diolensibus de amisso thesauro mœrore affectis, monachi cœnobij sancti Dionysij pro Dei munere læti, facilè corpus Eugenij mouerunt: & in sacello parato honorificè collocarunt: vbi clarissimis celebre signis, magna finitimorum populorum religione tādiu cultum est, quousque singulari Dei beneficio Ecclesiæ Toletanæ, quam ipse fundauerat, & primus Episcopus rexerat, post mille quingentos fermè annos redditū est. ℟ Stola iucunditatis induit eū Dominus. * Et coronam pulchritudinis posuit super caput eius. ℣ Cibauit illum Dn̄s pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. * Et coronam. ℣ Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euāg. secundùm Ioan. Lectio vij. Cap. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tractatu 51. in Ioan. sub medium.*

IPse Dominus Iesus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum: multiplicandum in fide populorum. Iam verò exhortans nos ad passionis suæ sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis potest intelligi. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo. Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟ Corona aurea super caput eius. * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis. ℣ Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio viij.

HOc autem, quod posterius dixi, magis videtur habere Euangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo quod suprà dictum est, qui amat (subintelligitur in hoc mundo) ipse vtique perdet. Qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, vt pereat: odium, ne pereat. Si malè amaueris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℟. Hic est verè Martyr, qui prò Christi nomine sanguinem suum fudit.* Qui minas iudicum non timuit, nec terrenę dignitatis gloriam quæsiuit, sed ad cælestia regna peruenit. ℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostēdit illi regnumDei.* Qui minas. ℣. Gloria Patri. * Qui minas

Lectio ix.

SEd vide, ne tibi subrepat, vt te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes in hoc mundo odisse animā tuam. Hinc enim quidam maligni, atq; peruersi homines, & in semetipsos crudeliores, & sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: imò etiam sibi præcipitium diabolo suggerenti, respondit: Vade Satana: scriptum est enim: Non tentabis Dominū Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas, quò volebas: cùm autem senueris, alter cinget te, & ducet, quò tu nō vis. Vbi satis expresit, nō à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum.

Si hoc festum celebretur in Sabbato, in secundis Vesp. fit cōmē. Dominicæ sequentis.

DIE XVJ. NOVEMBRIS.

Secunda die infra Octau. S. Eugenij, omnia de communi vnius Martyris præter Orationem, quę dicitur sicut in die, & Lectiones, quæ leguntur, vt infrà.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cypriani Episcopi & Martyris

De Exhortatione Martyrij ad Fortunatum, cap. 12. in fine.

Lectio iiij.

QVis non omnibus viribus elaboret ad tātam claritatē peruenire, vt amicus Dei fiat? Vt cum Christo gaudeat? Vt post tormenta, & supplicia terrena, præmia diuina percipiat? Si militibus sęcularibus gloriosum est, vt hoste deuicto redeant in patriam triumphantes, quantò potior, & maior est gloria, victo diabolo ad paradisum triūphantem redire: & vnde Adam peccator eiectus est, illuc prostrato eo, qui ante deiecerat, trophæa victricia reportare? Offerre Deo acceptisimum munus, incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumen, laudem deuotionis illustrem: comitari eum, cùm venire cœperit, vindictam de inimicis suscepturus: lateri eius asistere, cùm sederit iudicaturus: cohæredem Christo fieri: Angelis adæquari: cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis cælestis regni possesione lætari.

℟. Honestum fecit illū. fol. 84.

Lectio v.

HAs cogitationes quæ persecutio potest vincere? Quę possunt tormenta superare? Durat fortis, & stabilis religiosis meditationibus fundata mēs: & aduersus omnes diaboli terrores, & minas mundi, animus immobilis

perstat,

perstat, quem futurorum fides certa,& solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus terræ: sed patet cælum. Minatur Antichristus: sed Christus tuetur. Mors infertur: sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur: sed restituto paradisus exhibetur. Vita temporalis extinguitur: sed æterna reparatur.

℟. Desiderium animæ eius, folio 84.

Lectio vj.

QVanta est dignitas,& quanta securitas exire hinc lætum: exire inter pressuras, & angustias gloriosũ: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur,& mundus:& aperire eosdem statim, vt Deus videatur, & Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repentè subtraheris, vt in regnis cælestibus reponaris. Hæc oportet mente, & cogitatione complecti. Hæc die ac nocte meditari, Si talem persecutio inuenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prõpta. Vel si accersitio antè præuenerit, sine præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. Sine damno temporis merces iudice Deo redditur. In persecutione militia, in pace conscientia coronatur.

℟. Stola iucunditatis, fol. 85.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumẽti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex Tractatu 51. in Ioannem.

CVm ergo causæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum: quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortẽ persecutore, ibi eligat, Deo dilecto, emori, quàm Deo offenso, viuere. Ibi oderit in hoc mundo animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quid est, me sequatur, nisi me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.

℟. Corona aurea. fol. 85.

Lectio viij.

ECce quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? Qua mercede? Quo præmio? Et vbi sum, inquit, ego, illic & minister meus erit. Gratis ametur, vt operis, quo ministratur illic, pretium sit esse cum illo. Vbi enim benè erit sine illo? Aut quando malè esse poterit cum illo? Audi euidentiùs: Et si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus. Quo honore, nisi vt sit cum filio eius? Quod enim superiùs ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, hoc intelligitur exposuisse, cũ

dicit: Honorificabit eum Pater meus. Nam quem honorem maiorem accipere potest adoptatus, quàm vt sit, vbi est vnicus? Non æqualis factus diuinitati, sed cõsociatus æternitati.

℞. Hic est verè Martyr. fol. 86.

Lectio ix.

QVid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potiùs debem⁹ inquirere. Si enim hoc putauerimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere, vel apponere, vel poculum dare, potumque miscere, fecerunt hoc illi, qui potuerũt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha, & Maria, quando & Lazarus vnus erat ex discumbentibus. Eo modo Christo etiã Iudas perditus ministrauit: Nam & loculos ipse habebat: & quãuis ex eis, quæ mittebantur, sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam necessaria parabantur. Nullo modo igitur de huiuscemodi ministris diceret Dominus: Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Te Deum.

In Vesperis à Capitulo fit de S. Gregorio Thaumaturgo, vt in Breu. cum commem. Octa.

DIE XVij. NOVEMBRIS.

Fit de S. Gregorio Thaumaturgo Episcopo, & Confessore, **semiduplex**, vt in Breuiario, cum commem. Octauæ.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur post Octau. Sancti Eugenij, in diem xxvj. huius mensis, cum ix. lectio. & comme. S. Petri Alexandrini.

DIE XViij. NOVEMBRIS.

Translatio secunda sancti Eugenij Archiepiscopi Toletani, & Martyr. **duplex.**

Festũ Dedicationis Basilicæ Apostolorum Petri & Pauli transfertur in diem sequentem, nisi sit Dominica, quia tunc transfertur in feriam secundam.

Ad Vesperas, & alias Horas omnia de communi vnius Mart. præter Orationem, & Lectiones, quæ infrà assignantur.

Oratio.

DEus, qui nos hodierna die beati Eugenij Martyris tui, atque Pontificis gloriosa facis translatione gaudere, tribue quæsumus, eius nos semper pijs defensionibus muniri, & orationibus adiuuari. Per Dominum.

Deinde fit commemorat. sancti Gregorij Thaumaturgi Antiphona. **Amauit eum.** ℣. Iustum deduxit, Oratio. Da quæsumus, de communi Confessor. Pont. & nihil fit de Octau. quia est idem officium.

In primo Nocturno Lectiones. A Mileto. cum suis Responsorijs, vt in eius festo.

In secundo Nocturno.

Ex literis Petri Manrici Regij legati. & ex Historia de translatione sanctissimi corporis.

Lectio iiij.

CVm Ecclesia Toletana, vniuersaq; ciuitas beati Eugenij primi sui pastoris corpus apud se habendi magno iam pridem desiderio teneretur, Philipus II. Hispaniarum Rex Catholicus,

communi suorum populorum commotus desiderio, & proprio in beatum Eugenium inflammatus affectu, à Carolo IX. Franciæ Rege, Isabellæ vxoris fratre, amicitiæ vinculis sibi coniunctissimo, vehementer corpus S. Eugenij efflagitauit. Idoneum in primis virum Petrum Manricum Canonicum Toletanũ misit, qui totum negotium transigeret, & beatissimi viri corpus in Hispaniam referret. ℟. Honestũ fecit illum. fol. 84.

Lectio v.

ITaque quinto Nonas Maij Burdegalis in summo templo, sacris ab Antonio Sansaco Archiepiscopo Burdegalensi solemniter peractis, Rex ipse Carolus corpus beati Eugenij suo iussu per Ludouicum Gonzagam Niueriensem Ducẽ, ex Ecclesia sancti Dionysij ad se allatum, & supra aram maximã positum, quasi de manu Regia in manum Regiam Philippi Regis legato tradidit: à quo in Hispaniam honorificè perlatum est. Sed ex quo primũ Archiepiscopatus sui Toletani fines attigit, maximo apparatu per sacros Ecclesiæ Toletanę ministros exceptũ, & solemni, ac perpetua pompa Toletum vsq; perductum est, cõfluentibus vndequaque populis, atque eximio pietatis affectu cæleste pignus comitantibus. ℟. Desideriũ animæ eius. fol. 84.

Lectio vj.

TOleti maxima omnium ordinum lætitia, & vicinorum oppidorum incredibili concursu susceptum est, Philippo Rege, Carolo filio, atque Rodulpho, & Ernesto Maximiliani secundi Imperatoris filijs, ossa beatissima pia humilitate ferentibus: vrbis Præfecto, & Toletano Senatu per Vrbem: Episcopis verò (qui Toleti prouincialem Synodum tunc celebrabant) Pontificali cultu per Ecclesiam subuectantibus, vniuersis denique corpus illud religiose venerantibus, quod viuum Christi mẽbrum, atque instrumentum Dei gloriæ fuit. Ergo collocatum est supra altare summum, decimoquarto Kalẽdas Decembris, anno Dñi millesimo, quingentesimo, sexagesimoquinto, & à Philippo Rege præclarum munus Ecclesiæ Toletanæ collatum est. Quod in perhonorifico positum loco, maxima totius ciuitatis pietate frequentatur. ℟. Stola iucunditatis. fol. 85.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij secundùm Ioannem.

Lectio vij. CAP. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. August. Episcopi. *Tract. 50. Homil. hom. 37.*

QVis modus diligendi animam? Putatis Martyres nõ amare animas suas? Videtis certè modò, si cuius vita præsentis sæculi periclitetur, quomodo amici eius currunt pro ea, quomodo

curritur ad Ecclesiam, rogatur Episcopus; vt intermittat, si quas habet, actiones, currat, festinet. Quare? Pro anima. Et omnes cōtremiscunt: omnibus cæteris rebus intermissis, festinandum esse decernunt. Omnis festinatio laudatur: omnis tardatio accusatur. Quare? Pro anima. Quid est pro anima? Ne moriatur homo.

℟. Corona aurea, fol. 85.

Lectio viii.

NOn nouerant Martyres amare animas suas, & tamen hoc est pro anima, ne moriatur homo. Mors hominis, iniquitas est. Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita æterna? Si festinas lucrari dies paucos, & ipsos incertos (hodie enim homo à morte liberatus, nescit vtrum cras moriatur) tamen si sic curritur propter lucrum paucorum dierum, (quia & vsque in senectam pauci dies sunt) quomodò currendum est pro vita æterna? Amor ergo peruersus animæ abundat, amor autem rectus paucorum est.

℟. Hic est verè Martyr. fol. 86.

Lectio ix.

NAm sicut nemo est, qui non diligat animam suam, sic nemo est, qui non amet carnem suam. Vnde fieri potest, vt, & verum sit, quod ait Apostolus: Nemo vnquam carnem suam odio habuit: & anima non ametur. Discamus ergo, fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas sæculi transitoria est. Est amor vtilis: est amor noxius. Amor amore impeditur. Amor noxius recedat, & amor vtilis succedat. Sed quia homines nolunt illinc recedere, ideò in illos non potest aliud introire. Vt non capiant, pleni sunt: fundant, vt capiant.

Te Deum.

In II. Vesper. à Cap. fit de Dedica. Basilicæ Apostol. vt in communi Dedicat. Eccles. cum commemor. Translat. S. Eugen. Aña. Qui vult venire post me. ℣. Iustus vt palma, de communi. Oratio. Deus, qui nos hodierna die, vt suprà.

Deinde fit commem. S. Pontiani Papæ, & Martyr. vt in Breuiario. Antiphona. Iste sanctus. ℣. Gloria & honore. Oratio. Infirmitatem, de communi vnius Martyr, & non fit comm. Octa.

Quod si festum Translationis celebretur in Sabbato, Vesperæ dicuntur de Translat. cum cõm. Dominicæ, & S. Pontiani, & festum Dedicat. transfertur in feriam secundam sequentem, vt dictum est.

DIE XIX. NOVEMBRIS.

Fit de Dedicat. Basilicæ Apostolorum Petri, & Pauli, duplex, vt in Breuiario die xviij. Nouembris, cum nona lectione S. Pontiani, & commemora. Octauæ S. Eugenij, & S. Pontiani. Ad Benedictus pro sancto Pontiano Aña. Iste sanctus. ℣. Gloria, & honore. Oratio. Infirmitatem.

DIE XX. NOVEMBRIS.

Fit de sexta die infra Octau. S. Eugenij; nisi transferatur in hunc diem festum Dedic. Basilicæ Apostol.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis.

Lib. 1. Senten. cap. 26.

Lectio iiij.

DEi seruus aduersitate vlla nõ frangitur, sed se pro veritatis defensione vltrò certamini offert: neque vnquam pro veritate diffidit. Sæpè ex discipulis ad martyrium eligũtur, qui suos Doctores ad coronam præcedũt: & qui sunt ordine postremi, fiunt nonnumquam in certamine primi. Vir sanctus vltrò se in agone pro certamine non debet offerre iustitiæ: sed tamen si agonis fructum videt vberrimum, non debet declinare laboris periculum.

℟. Honestũ fecit illũ. fol. 84.

Lectio v.

QVòd si maior est labor, quã animarum lucrum, declinãdus est labor, quem minimum comitatur augmentum. Vtrumque enim fecit Apostolus, qui & periculis se vltrò dedit, vbi maximum animarum lucrum vidit, & sapiẽter se à periculo abstulit, in quo potiorem laborem, quàm lucrum esse perspexit. Vltrò se Paulus ad Ephesum periculis obtulit: quia potiùs periculo lucrũ vidit. Damasci autem ideò periculo subtraxit semetipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum.

℟. Desideriũ animæ ei᷒, fol. 84.

Lectio vi.

DIsce, quomodo se ad martyrium offerat quisque vltro, vel quomodo iuxta sententiam Dei cingatur ab altero, & quò non vult, ipse ducatur: nisi quòd & propter gloriam futuram de certamine iustus gaudet, & propter passionis violentiam refugit subire, quod dolet. Accipe exemplum adeundi sub trepidatione martyrij, de vsu bellandi, in quo exercitatus quisque in prælio, & per audaciam certamen aggreditur, & per timorem cunctatione mouetur. Item accipe exẽplum martyrij de reparatione humani corporis ad salutem, dũ quisque, & de spe reparationis gaudet, & de incisionibus malorum, ceu amarissimis poculis mœret.

℟. Stola iucunditatis, fol. 85.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumẽti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Homil. 65. in Ioan. post medium.

QVid signat, granum frumenti nisi cadẽs mortuum fuerit? De Cruce loquitur: ne perturbarentur, cùm Gentiles accesserunt, tunc mortuum esse: hoc, inquit, maximè populos adducet, & mei augebit præconiũ. Inde cum non ita verbis persuaderet, rerum experientia id aggreditur, inquiẽs, hoc in frumẽto

contingere, vt mortuum maiorem fructum afferat. Quòd si hoc in seminibus euenit, multò magis in me. Sed non intellexerunt discipuli quid diceret, ideò frequenter idem repetit Euangelista, excusans quòd postmodùm fugerint. ℟. Corona aurea, fol 85.

Lectio viij.

TAlem de resurrectione disputans rationem Paulus etiam attulit. Quam igitur habebunt excusationem, qui resurrectioni non credunt, cùm in seminibus, & in plantis quotidie hoc videamus: ac etiã in nostro genere? Primùm enim corrũpi semen oportet, inde fieri generationem. Omnino autem cũ Deus aliquid facit, nulla op⁹ est ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Christianos dico, qui se dicunt credere scripturis. ℟. Hic est verè Martyr. fol. 86.

Lectio ix.

EGo autem & aliud dicam ex humanis rationibus. Alij malitiam, alij virtutem sectãtur: sed malitiæ sectatorum multi feliciter in vltimam peruenerunt senectutem, virtutis autem contra: quomodo ergo pro meritis vnusquisque accipiet? Quãdo? Certè inquiunt, sed corpora non resurgent. Nonne audiunt Paulum dicentem: Oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem? Neque animam intelligit, quippè quæ non corrũpitur: & resurrectio de mortuo dicitur: Cecidit autem corpus.

Te Deum laudamus.

Vesperæ de Præsentatione Beatæ Mariæ Virginis, vt in Breuiario die xxj. Nouembris, cũ commem. Octauæ.

Si hodie fiat de Dedicat. Basilicæ Apost. in Vesp. Præsentat fit comme. Dedicat. & Octau.

DIE XXj. NOVEMBRIS.

Fit de Præsentatione B. Mariæ Virg. dup. maius, vt in Breuiario cum commem. Octa.

In secundis Vesper. fit commemo. diei Oct. S. Eugenij, vt in primis Vesp. festi.

DIE XXij. NOVEMBRIS.

In Octau. S. Eugenij, duplex. Festum autem S. Cæciliæ transfertur in diem xxiij. huius mensis, cum nona lectio. & comme. S. Chrysogoni Mart. & ex duabus Lectionibus fit vna, nisi trãsferatur in illum diem festũ S. Eugenij Confessoris, vel S. Martini Papæ: quia tunc de sancta Cæcilia fit in die xxvj. cum ix. lect. & comme. S. Petri Alexandrini.

Si tamen dies xxiij. fuerit Dominica, festum S. Cæciliæ transfertur in diem xxvij. huius mẽsis.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In tertio Nocturno.

Sermo sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani.

Libro 1. Prognosticon cap. 11.

Lectio iij.

MOrtem carnis omnis homo timet, & mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, omnes curant, ne veniat: inde est, quòd laborant. Laboratur, ne moriatur homo moriturus; &

non laboratur, ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, vt multum mors differatur, nõ vt euadatur. Si autẽ peccare nolit, nõ laborabit, & viuet in æternum. ℟ Honestum fecit illum, fol. 84.

Lectio v.

O Si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sumus vitæ fugientis. Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impedente ceruicibus, prodiderũt homines, quiquid sibi, vnde viuerent, reseruabant. Quis nõ continuò prodidit, ne percuteretur? & post proditionẽ fortasse percussus est. Quis non continuò vt viueret, prodere voluit, vnde viueret: eligens vitam mendicantem, quam celerem mortẽ? Cui dictum est: Nauiga, ne moriaris, & distulit? Cui dictũ est, Labora, ne moriaris, & piger fuit? ℟ Desiderium animæ eius. fol. 84.

Lectio vj.

LEuia Deus iubet, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Non tibi dicit Deus: Perde quidquid habes, vt viuas exiguo tempore in labore solicitus: sed da pauperi, vnde habes vt viuas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam neque cùm volunt, neque quandiu volunt, habent: & nos inuicẽ non accusamus tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternã; quam si voluerimus, habebimus, cũ habuerimus, non amittemus. Hanc autem mortem, quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus. ℟ Stola iucunditatis. fol. 85.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Ioannem, in initio.

DVlcis præsens vita est, & multæ plena voluptatis: nõ tamen omnibus, sed ei, qui terrenis rebus afficitur. Quòd si quis cælum suspiceret, & quæ illic bona sunt contemplaretur, statim hæc contemneret, tanquam nullius momenti. Nam & corporum pulchritudo, quoad pulchrius nõ deprehenditur, in admiratione habetur: cùm verò melius apparuerit, illa prior despicitur. Quòd si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cælestis regni speciem considerare, confestim nos huius sæculi vinculis dissoluerimus. ℟ Corona aurea, fol. 85.

Lectio viij.

VInculum namque est terrenarũ rerum affectio: à quo nos abducẽs Christus, quid dicat, attẽde: Qui amat animã suã, perdet eam. Et qui odit animã suam in hoc mundo, in vitam æternam

custodit eam. Similiter ænigmate hoc dictum videtur: non tamen est, sed sapientiæ plenum. Et quomodo qui amat animam suam perdet eam? Qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam. Hoc est, qui non paret ei, cùm aliquid perperam iubet.

℟. Hic est verè Martyr. fol. 86.

Lectio ix.

ET non dixit, Qui non paret: sed qui odit. Quemadmodum enim quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & anima, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, acriter reijcienda est. Cùm enim iam de morte ad eos verba facturus esset: de morte videlicet sua, & præuideret eorum tristitiam, & exanimationem, per excessum locutus est, inquiens: Quid dico, si mortem meam generosè non feratis? nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum.

Te Deum laudamus.

In secundis Vesperis fit comm. sancti Clementis Papæ, & Mart. & S. Felicitatis Martyr. vt in Breuiario.

Si dies Octauæ celebretur in Sabbato, in secundis Vesperis fit comme. Dominicæ, & S. Felicitatis: & tunc festum S. Clementis transfertur in diem xxvj. cum nona lectio. & commem. S. Petri Alexandrini.

DECEMBER.

DIE vj. DECEMBRIS.

Fit de S. Nicolao Episcopo & Confessore, **semiduplex**, vt in Breuiario, cum commem. feriæ Aduentus.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur post Octau. sanctæ Leocadiæ, in diem xvij. huius mensis. cum commem. feriæ: & Antiphonæ feriales propriæ, quæ dicendæ erant ad Laudes in prædicta die xvij eo anno omittuntur.

DIE vij. DECEMBRIS.

Fit de S. Ambrosio Episcopo & Confess. & Ecclesiæ Doctore, **duplex**, vt in Breuiario, cum commem. feriæ.

Quando hoc festum in Dominica venerit, transferendum est post festum sanctæ Leocadiæ in diem decimum cum commemo. Octa. feriæ Aduentus, & S. Melchiadis.

DIE viij. DECEMBRIS.

Fit de festo Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, **duplex maius**, vt in Breuiario cum comme. feriæ.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur post festum sanctæ Leocadiæ, in diem decimum, cum commem. octa. feriæ Aduent. & S. Melchiadis.

DIE IX. DECEMBRIS.

In festo sanctæ Leocadiæ virginis, Martyris, & Patronæ **duplex primæ classis**, cum comme. feriæ.

Si hoc festum venerit in Do-

minica secunda Aduentus, fit de festo cum nona lectione, & comme, Dominicæ in vtrisque Vesp. & Laudibus.

Ad Vesperas, Antiphona.

Hæc est virgo sapiēs, & reliqua. Omnia de communi Virginum, & Martyrum, præter ea quæ infrà assignantur.

In primis Vesperis & Completorio huius festi in fine Hymnorum dicatur. Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine, nisi festum Conceptionis transferatur.

Oratio.

BEatæ Leocadiæ virginis, & Martyris tuæ, quæsumus Domine, precibus, & meritis adiuuemur: vt quæ pro tui nominis confesſione carceres, & mortem pertulit, suo nos patrocinio ab æterno carcere defendat. Per Dominum nostrum.

Deinde fit commem. Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Aña. Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo; ex te enim ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionē, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam.

℣. Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Oratio.

FAmulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium; Conceptionis eius votiua solemnitas pacis tribuat incrementum.

Postea fit commemorat. feriæ Aduentus.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiastici. Cap. 51.

Lectio i.

COnfitebor tibi Dñe Rex, & collaudabo te Deū Saluatorem meum. Confitebor nomini tuo quoniam adiutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium: & in conspectu astantiū factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugiētibus præparatis ad escā, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circūdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à Rege iniquo, & à lingua iniusta. ℟. Veni spōsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum: pro cuius amore sanguinē tuum fudisti. * Et cum Angelis in paradisum introisti. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupiuit Rex speciem tuam. * Et cum Angelis.

Lectio ij.

LAudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circūdederunt

me vndique, & non erat, qui adiuuaret. Respiciens eram in adiutorium hominum, & non erat. Memorata sum misericordię tuę, Domine, & operationis tuæ, quæ à sæculo sunt, quoniam eruis sustinentes te, Domine, & liberas eos de manibus Gentium.

℞. Diffusa est gratia in labijs tuis. * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna. * Propterea.

Lectio iij.

Exaltasti super terram habitationem meã, & pro morte defluente deprecata sum. Inuocaui Dominum, patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tépore superborum sine adiutorio. Laudabo nomen tuum asiduè, & collaudabo illud in confesione, & exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tépore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

℞. Specie tua, & pulchritudine tua: * Intende prosperè, procede, & regna.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis propterea benedixit te Deus in æternum. * Intende. ℣. Gloria Patri. * Intende.

In secundo Nocturno.

Ex Breu. Martyr. & Hist. ant.

Lectio iiij.

Leocadia virgo Toletana, nobilis genere, sed nobilior Christianæ pietate, eo tempore martyrium passa est, quo Diocletiano & Maximiano Imperatoribus tam dira in Dei Ecclesiam persecutio commota est, vt vbique gentium conquisiti Christiani, aut Christi fidem abnegare, aut mortem subire cogerentur. Ad quam crudelitatem exercendam, & veri Dei cultum in Hispania extinguendum, missus est ab Imperatoribus Dacianus pręses. Qui multis ciuitatibus eius prouinciæ Martyrum sanguine consecratis, vbi Toletum venit, Leocadiam in primis ad se accersiri iubet, eamque blanditijs primũ delinire aggreditur, deinde etiam terroribus, ac modis omnibus de proposito colendæ Christianæ religionis deducere conatur. Cuius impiam orationem Leocadia detestata, in vincula conijcitur: vt aut sententiam mutet, aut vim immanium tormentorum experiatur.

℞. Propter veritatem, & mãsuetudinem, & iustitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

Cum autem in custodiã virgo duceretur, Deo humili corde gratias egit, quòd pro Christo fundendi sanguinem sibi occasionem obtulisset. Conuersaque ad eos, qui se lacrymis prosequebantur, placido vultu: Eia, inquit, Christi milites, congratulamini mihi, quoniam digna habita sum pro nomine Iesu contumeliã pati. In tetro carcere

diu iacuit: donec auditis sæuissimis tormentorum generibus, quibus Dacianus permultos Christianos excruciatos necauerat, pio dolore commota, flexis humi genibus, Deum precata est, vt se (si ita expediret) è custodia corporis educeret, ad confitendum nomini eius: exauditaque à Domino, squalore confecta, impollutum spiritum in oratione Deo reddidit.

℟. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. * Propterea.

Lectio vj.

LEocadiæ igitur corpus honorificè à Christianis in suburbio Toletano sepelitur: vbi postea, & in loco vbi mortua est, duæ Ecclesiæ Collegiatæ, & tertia item parochialis in ædibus, in quibus habitauit, eius nomine dedicatæ etiam nunc extant: quibus tantus honos Gothorum tempore est habitus, vt in eis potissimùm multa Concilia Toletana, eaque frequentissima habita: & sanctissimi Archiepiscopi Toletani, Eugenius tertius, Ildefonsus, & Iulian⁹ in Leocadiæ basilica, propter eius virginis reuerentiam, sepulti sint. Hęc sanctissima virgo post mortem è tumulo surrexit, & Reccesuintho Rege pręsente, & magna hominum multitudine, beato Ildefonso apparuit, eiusque studium in gloriosissimam Virginē Mariam commendauit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ eius. * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna. * Afferentur. ℣. Gloria Patri. * Afferentur.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis.

Libro Sententiarum, cap. 40.

VIrgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. Vnde & insipientibus virginibus Saluator in iudicio veniens, dicit: Amen dico vobis, nescio vos. Vbi enim iudicans, mentem corruptam inuenerit, carnis proculdubio incorruptionem damnabit. Nihil prodest incorruptio carnis, vbi non est integritas mentis: nihilq; valet, mundum esse corpore eum qui pollutus est mente.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum. * Et veniente Domino, introiuit cum eo ad nuptias.

℣. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Et veniente.

Lectio viii.

MVlti sunt reproborũ, qui carnalis corruptelæ contagium nesciunt: qui sicut infœcũdi sunt corpore, ita steriles manent mente, operisque boni fœcunditate: qui rectè de virginitate gauderent, si alijs prauis operibus non inseruirent. Qui continentiam profitetur, & ab alijs terrenis desiderijs non subtrahitur, quamuis hunc luxuria carnis non polluat, diuersa tamen mũdanæ cõuersationis operatio maculat.

℟ Media nocte clamor factus est. * Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.

℣ Prudentes virgines, aptate vestras lampades. Ecce sponsus.

℣ Gloria Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix.

VIrgines de suis meritis gloriantes hypocritis comparantur; qui gloriam boni operis foris appetunt, quam intra consciẽtiam humiles habere debuerũt. Tales igitur ad promissa cælestia non perueniunt: quia ipsæ sibi virginitatis præmium per elationis vitium auferunt. Hoc est enim in Euangelio non habere virgines in vasis oleum, id est, non seruare intra conscientiam boni operis testimonium, sed in facie gloriari apud homines, non in corde apud Deum.

TE Deum laudamus.

In secundis Vesperis fit commemor. feriæ, non fit commem. sancti Melchiadis.

Si festum S. Ambrosij, vel Conceptionis trãsfertur in diem decimum, in ij. Vesp. S. Leocadiæ ante comme. fe. fit comme. festi trãslati Quando cõtigerit trãsferri festum Conceptionis; in Hymno Completorij dicatur, Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine.

DIE X. DECEMBRIS.

Secunda die infra Octau. S. Leocadiæ, cum commem. feriæ, & S. Melchiadis Pap. & Mart. Omnia de communi Virgin. & Martyr. præter Orationem, quæ dicitur sicut in die, & Lectiones, quæ leguntur vt infrà.

Si verò in hunc diem transferatur festũ S. Ambrosij, vel Conceptionis, fiet de festo translato, cum comme. Octa feriæ Aduentus, & S. Melchiadis: & in secundis Vesper. fiet commem. S. Damasi, Octa. & feriæ.

In primo Noctur. Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Fulgentij Episcopi Ruspensis.

Ex sermo. 10. de Martyribus.

Lectio iiij.

QVi seminant in lacrymis, in gaudio metent. Vbi seminant in lacrymis, nisi iuxta arborẽ Crucis, vbi est fons proximus Saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarũt, & pluuia cruoris, & aquæ, seminata est tolerantia Confessorum. De ipso ligno virentis Crucis iuxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis. Inde plantata Martyrum tolerantia cœpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde Martyres

tolerant, nisi per Dominicã Crucem? Vnde Martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominũ, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Iudæorum?

℟. Propter. fol. 96.

Lectio v.

VNde Martyres carcerũ custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium Principis Cayphæ, & nocturnum crudelis prætorij carcerem non dedignatus est sustinere, sed dicebat: Traditus sum, & non egrediebar? Vnde Martyres de catenis, & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri, & alligari passus est à Iudæis? quia catenas mortis dirupit à mortuis iã surrecturus, qui dixit eis, qui in vinculis sunt, exite, & qui in tenebris sunt, vt videant lumen: & qui dixit Lazaro post quatriduum iam sepulto, Prodi foras; traditus nõ egrediebatur foras, quia erat liber intùs, & foris.

℟. Dilexisti. fol. 97.

Lectio vj.

INde Martyres alapas nõ horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorum. Inde non nocuit Martyribus infusa aceti, vel sinapis acerrima violentia, quia acetum, & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione, à pincernis impijs, quibus rupit petrã, & fluxerunt aquæ, & potauit eos sicut in abysso multa. Vnde Martyres nudati sustinuerunt, flagellati non fleuerunt, nisi quia Dominus nudatus est, & flagellatus, atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare?

℟. Afferentur. fol. 97.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolã hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex lib. 83. Quæstionum, quæst. 99. & de verbis Domini serm. 22.

VIdentur mihi quinque virgines significare quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. Continendus est enim animæ appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, & tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantùm, vt gloria humana capiatur: quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ: vtræque tamẽ virgines, quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeat. Lampades autem sunt, quia manibus gestantur opera, quæ secundùm continentiam istam fiunt. Dictum est autem: Luceant opera vestra coram hominibus. Omnes verò acceperunt lampades suas, & venerunt obuiam sponso. Intelligendũ est

ergo Christi nomine censeri, de quibus agitur: non enim possunt, qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obuiam.

℟ Hæc est virgo, fo 67.

Lectio viij.

SEd quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum. Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimùm sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter non viuunt, nisi laudibus hominum. Non ergo habent oleum secum, nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror. Propterea vnxit, inquit, te Deus, Deus tuus oleo exultationis. Qui autē non propterea gaudet, quia Deo intrinsecùs placet, non habet oleum secum. Prudētes acceperunt secum oleum in vasis suis cum lampadibus: id est, lætitiam bonorum operum in corde, atque conscientia posuerūt, sicut Apostolus monet: Probet autem se ipsum homo, inquit, & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero.

℟ Media nocte, fo 97.

Lectio ix.

TArdante verò spōso dormitauerunt omnes, quia ex vtroque genere cōtinentiū hominum, siue eorum, qui corā Deo exultant, siue eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu Dñi fiat resurrectio mortuorū. Media autem nocte, id est, nullo sciente, aut sperāte, quippè cum ipse Dominus dicat, De die autem illa: & hora nemo scit: & Apostolus: Dies Dñi tanquam fur in nocte ita veniet: ex quo significatur, eū penitus latere, cùm venerit.

Te Deum laudamus.

In Vesperis à Capitulo fit de sancto Damaso, cum commemorat. Octauæ, & feriæ. Quòd si festum sancti Damasi transferatur, ob diem Dominicum, in Vesperis hujus diei à Capitulo fit de Dominica cum commemorat. Octauæ, & in sequenti die fiat de Dominica, cum commemorat. Octau. sine Precibus ad Primam, & Completorium, & in secundis Vesperis eiusdem Dominicæ fit commemorat. S. Damasi, & Octauæ.

DIE xj. DECEMBRIS.

Fit de sancto Damaso Papa, & Confess. semiduplex, vt in Breuiario, cum cōmem. Octau. & feriæ.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de Octa. cum commemora. sancti Damasi, & feriæ.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur in feriam secundam, cum commemor. octauæ, & feriæ, & tūc in primis Vesperis S. Luciæ fiet commemor. S. Damasi, Oct. & feriæ.

DIE xij. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octauā S. Leocadiæ, cum commem. feriæ.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrenti.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cypriani Episcopi, & Martyris.

Libro de Disciplina, & bono pudicitiæ.

Lectio iiij.

VIrginitas, & continentia extra ius omne sunt. Nihil ad virginitatem de matrimoniorũ legibus pertinet, altitudine sua transcendit omnes. Si vlla praua hominũ leges ausa supergredi conantur, virginitas æquat se Angelis: si verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli: Virginitas quidaliud est, quã futuræ vitæ meditatio? Virginitas neutri sexus est: virginitas est perseuerans infantia: virginitas est voluptatũ triumphus: virginitas filios non habet, sed, quod plus est, filiorum contemptum habet.

℟. Propter veritatem. fol. 96.

Lectio v.

NIhil animum fidelem sic delectat, quàm integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse voluptas est maxima: nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit altero: sed qui libidinem repressit, se ipso fortior fuit. Qui inimicum prostrauit, externum hostem percussit, qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superauit. Malum omne faciliùs vincitur, quàm voluptas, quia illud quidquid est, horridum est, hoc blandum est. Nihil tam difficilè opprimitur, quàm quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus sustulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt.

℟. Dilexisti iustitiam. fol. 97.

Lectio vi.

QVid est aliud pudicitia, quàm mens honesta ad custodiam corporis data, vt sexibus redditus pudor, securitate signatus, fidem honoris de incorrupta sobole seruaret? Pudicitiæ autem fratres competunt, & cogniti sunt in primis diuinus pudor, & præceptorum sancta meditatio, & animus propensus ad fidem, & mens attenta ad sacram religionẽ. Deinde videre, ne quid in se vltra modum sculptũm, vltra honestatem productum, ne quid proditũ, ne quid arte fucatũ, ne quid ad irritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatũ.

℟. Afferentur. fol. 97.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hãc: Simile est regnum cælorum, decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Comment. in Matth. cap. 25.

OLeum habent virgines, quæ iuxta fidem, & operibus adornantur. Non habent oleum, quæ videntur simili quidem fide Dominum confiteri, sed virtutum opera negligunt. Possumus quinque virgines sapientes, & quinque stultas quinque sensus interpretari, quorum alij festinãt ad cælestia, & superna desiderãt:

alij terrenis fæcibus inhientes fomenta non habent veritatis, quibus sua corda illuminent. De visu, & auditu, & tactu spiritualiter dictum est. Quod vid mus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ palpauere. De gustu: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. De odoratu: In odorem vnguentorum tuorum currimus: &, Christi bonus odor sumus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt: non enim parùm temporis inter priorem, & secundum aduentum Domini prætergreditur. Omnes dormitauerunt, id est, mortuæ sunt, quia sanctorum mors somnus appellatur. Cõsequenter autem dicitur, dormierũt, quia postea suscitandæ sunt.

℟. Hæc est virgo. fol. 97.

Lectio viii.

MEdia autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Subitò enim, quasi intempesta nocte, & securis omnibus, quando grauissimus sopor est, per Angelorum clamorem, & tubas præcedẽtium fortitudinum Christi resonabit aduentus: Dicamus aliquid, quod forsitan lectori vtile sit. Traditio Iudæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptij temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transijt, & sanguine agni postes nostrarum frontium cõsecrati sunt. Vnde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, vt in die vigiliarum Paschæ, ante noctis dimidium populos dimittere nõ liceat, expectantes aduentum Christi, & postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem.

℟. Media nocte, fol. 98.

Lectio ix.

OMnes virgines surrexerunt, & ornauerunt vnaquæque lampades suas, id est, sensus, in quibus oleum conscientiæ recipiebant, vt alerent opera virtutum, quæ ante verum iudicem refulgerent. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Quæ lãpades suas queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ citò exolescunt, & exorto caumate arefiunt: sed perfectas virtutes sequatur, vt lumen sempiternũ.

Te Deum laudamus.

Vesperæ dicuntur de sancta Lucia, cum commemor. Octau. & feriæ, nisi hoc festum transferatur propter Dominicam, quia tunc in Vesper. die infra Octau. à Cap. fit de Dominica cum commemorat. Octau. Sequenti die fit de Dominica prædicta, cum commem. Octau. sine precibus ad Primam, & Completorium: & in ipsa Dominica Vesp. erunt de S. Lucia, cum comme. Dominicæ, & Octauæ.

Die

DIE xiij. DECEMBRIS.

Fit de sancta Lucia Virgine,& Martyre, **duplex** vt in Breuiario,cum comme. Octa. & fer. in Laud. & secundis Vesp.

Ad Laudes pro sancta Leocadia. ℣ **Specie tua.**

Ad Vesperas. ℣. **Adiuuabit eam.**

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur in feriam secundam, cum comme. Octau. & feriæ etiam in Laudibus,& in secundis Vesperis, & tunc varientur versiculi, vt dictum est supra.

DIE xiiij. DECEMBRIS.

Sexta die infra Octau. S. Leocadiæ,cum comme. feriæ.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrenti: si venerit in Quatuor Temporibus, dicuntur de libro Ecclesiastici. **Confitebor tibi Domine Rex,** vt in eius festo cum ix. Lection. de Homilia feriæ occurrentis.

In secundo Nocturno.

Sermo. S. Ambrosij Episcopi.

Lib. 1. de Virginibus.

Lectio iiij.

SVme igitur alas, virgo, sed spiritus, vt superuoles vitia, si contingere cupis Christum. In altis habitat,& humilia respicit: species eius sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem in terris inserit. Principium enim eius in cęlo, posteriora eius in terris fructus cælo proximos ediderunt. Scrutare diligentiùs tam bonum florem, nec vbique eum, in pectoris tui conualle reperies: humilibus enim frequenter inhalatur. Amat generari in hortis,in quibus eum Susanna, dum deãbularet,inuenit : mori priùs, quam violari parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat, dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Propter veritatem, fol. 96.

Lectio v.

VObis, virgines sanctæ, speciale præsidium est,quæ intemerato pudore sacrum Domini seruatis cubile. Neque mirum, si pro vobis Angeli militant,quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorũ vitam meretur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim Angelos fecit: qui eam seruauit, Angelus est;qui perdidit, diabolus. Hinc religio etiam nomen accepit:virgo est,quę Deo nubit, meretrix,quæ deos fecit. Nam de resurrectione, quid dicam, cuius præmia iam tenetis? In resurrectione autem neque nubent, neque nubentur, sed erũt sicut Angeli in cælo. Quod nobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est.

℟. Dilexisti iustitiam, fol. 97.

Lectio vj.

DE hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quam præclarũ autem, Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam in cælum transijsse de sæculo! Beatæ virgines, quas non

illecebra solicitat corporum, non colluuio præcipitat voluptatum. Cibus parsimoniæ, & potus abstinentiæ docet vitia nescire, qui docet caussas nescire vitiorum. Caussa peccandi etiam iustos sæpè decepit. Hinc populus Dei postquam sedit bibere, Deũ negauit. Hinc Loth concubitus filiarũ ignorauit, & pertulit. Hinc inuersis vestigijs filij Noe patri quondam pudenda texerũt: quæ procax vidit, modestus erubuit, pius texit, offensurus si & ipse vidisset.

℟. Afferentur Regi. fol. 97.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hãc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homilia 12. in Euangelia.

SÆpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona, quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc quòd à vobis rectè geritur, fauor, aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intùs à mercede euacuetur. Ecce enim redemptoris voce decẽ virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt: quia earum quædã, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.

℟. Hæc est virgo. fol. 97.

Lectio viij.

SEd priùs quærendum nobis est, quid sit cælorum regnũ, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes, & fatuæ dicantur? Dum enim cælorum regnum constet, quia reprobotum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quòd sæpè in sacro eloquio regnum cælorũ præsentis temporis Ecclesia dicitur, de quo alio in loco Dominus dicit. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt, quæ colligantur.

℟. Media nocte. fol. 97.

Lectio ix.

IN quinq; autem sensibus corporis vnusquisq, subsistit. Geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur. In qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt, rectè similis virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab exteriore se appetitu custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, &

toto desiderio ad supernam patriã anhelant, æterna præmia expetũt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolũt. Hi nimirũ gloriam suam non in ore hominũ ponunt, sed intra conscientiam cõtegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt. Te Deum laudamus.

In Vesperis post comme. feriæ fit commem. S. Eusebij Episc. & Mart. Oratio. Deus, qui nos beati, de communi vnius Martyr.

DIE XV. DECEMBRIS.

Septima die infra Octau. S. Leocadiæ cum comme. feriæ Aduentus & sancti Eusebij Episcopi, & Martyris.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrenti: si venerit in Quatuor Temporibus dicuntur de libro Ecclesiastici: Confitebor tibi Domine Rex, vt in eius festo, cum nona lect. de Homilia feriæ.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Leandri Episcopi.

Ex libro de Institutione Virginum, ad Florentinam sororem.

Lectio iiij.

VIrgo conscientiam tantùm debet habere liberam, non vocem, non sermonem, non aspectum. Sit mente apud Deum secura, voce verò, sermone, atque aspectu humilis, & verecunda; ita vt calumniantibus, & maledicis conscientiæ solius sinceritate, & puritate resistat. Non voce, aut verbo apud homines iustificari requirat. Memor sit Susannæ castissimæ, quæ adulteris accusatoribus non respondit ore iustitiã, quam corde gerebat; nec repulit assertione adulteros, sed conscientiæ puritate soli se Deo suspirijs, & gemitibus commendabat, qui inspector est mentis: ac per hoc, quæ propria voce defendi noluit, diuino iudicio est defensa; vt Deus testis pro ea esset, cui illa innocuã impendebat consciẽtiam, & quæ ad supplicium suæ commẽdabat innocentiæ causam.

℟. Propter veritatem. fol. 96.

Lectio v.

SVstinuit Ioseph patiẽter crimen adulteræ dominæ, non repulit assertionem. Bene de se cõscius libenter carceris tenebras tolerauit. Quãto ille in angustijs carcerũ bonæ conscientiæ splendore fulgebat? Vnde nouimus etiam in vinculis esse liberos, quos conscientia non accusat. Quibus verò mens rea est, etiã si sint absoluti, tetra premuntur angustia carceris. Ille, inquam, Ioseph noluit pro conscientiæ sinceritate, quam gerebat, respondere: sed cõmendauit se Deo, vt ipse iudex fieret pro eo, qui esset & testis. Proficies etenim virgo talib⁹ firmata exẽplis, si imitari volueris.

℟. Dilexisti iustitiam. fol. 97.

Lectio vj.

VEra virgo est, quæ nec mẽte surripitur à diabolo, nec carne à viro. Hanc laudans in Cãticis Canticorum cælestis sponsus præcinit, dicens: Quàm pulchra es amica mea, & quã decora, absque eo, quod intrinsecus

latet. Pulchra, non carnis specie, sed castitatis integritate. Quę verò intrinseca latent, virtutes sunt animæ. Et psalmus attollens laudibus virginē, dicit: Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Intus ergo est gloria virginis, hoc est in secreto, vbi decoratur anima virtute gratiæ, floret castitate venusta, ideò decora, & bene ornata. ℟. Afferentur Regi. fol. 97.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolā hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homil. S. Ioan. Chrysostomi.

Homil. 29. in Matthæum.

FAtuas appellauit, vt nihil amentius esse ostendat, quàm pecuniam in hac vita colligere, & nudos nos proficisci, vbi maximè benignitate indigemus, vbi misericordia nobis opus est. Præterea sperantes ibi se oleum inuenturas, intempestiuè quæsierunt. Quamquàm autem nihil humanius illis virginibus fuerit, quæ hac re præcipuè fulserunt, non totum petebant: Date enim nobis ex oleo vestro, inquiunt, & necessitatem ostendebant, extinguuntur enim lampades nostræ: sed tamen repulsæ sunt, nec humanitas earum, à quibus petebatur, nec petitionis facilitas, nec petētiū necessitas, vt impetrarēt, effecit. ℟. Hęc est virgo, fol. 97.

Lectio viij.

QVid igitur hinc docemur? quia videlicet nullus nos, qui opera perdiderimus, defendere ibi poterit; non quia nolet, sed quia non potest. Videmus enim prudentes ad impossibilitatem confugere, quod etiam Abraham ille denotauit, dicens: Magnus inter nos atque vos hiatus existit, adeò vt nec volentes pertransire, traijcere possint. Ite autem ad vendentes, & emite. Qui porrò vendunt? Qui pauperie premuntur. Vbi verò isti reperiuntur? In hac solummodò vita: hic ergo, non ibi quærendi sunt. Vides quàm magnas ab inopibus merces negotiemur, si hos tollas, magnam nostræ salutis spem euertisti. Hic igitur oleum colligēdum est, vt, vbi cùm tempus fuerit, nobis paratum adsit. Non enim illud tempus, sed hoc congregationis est. Noli ergo in delicijs, luxu, inaniq; gloria frustra consumere quæ habes, cùm multo tibi oleo ibi opus futurum est. ℟. Media nocte. fol. 97.

Lectio ix.

HIs illæ auditis, recesserunt sed nihil vtilitatis consecutæ sunt. Ita ipso parabolæ contextu ostendit, quia etiamsi misericordes illic fuerimus, nō euademus tamē: nihil enim profuisse istis misericordiæ illius voluntatem videmus, quia non hîc, sed ibi venditores olei quærebant: nec diuiti profuit adeò misericordem ibi fuisse, vt etiam de absentibus suis solicitaretur: & qui dum viueret iacentem in porta

pauperem præteribat, quos inde videre non poterat, à gehenna eripere festinat, rogatque nonnullos ad illos mitti, omnium earũ nuncios rerum, verùm vt ille, sic etiam istæ nihil consecutæ sunt. Te Deum laudamus.

Vesperæ dicuntur de Octau. S. Leocadiæ, **duplex.** Omnia vt in primis Vesperis festi. 74. cum commem. feriæ.

Si Octaua sanctæ Leocadiæ venerit in Dominica tertia Aduentus, fit officium de Dominic. hoc modo. Ad Vesperas Sabbati Antiphona. **Hæc est virgo sapiens,** cum reliquis Antiphonis, & Psalmis de communi Virginum, & nõ duplicantur Antiphonæ, quia fit officium semiduplex, & à Capitulo fit de Dominica, cum cõmemorat. Octauæ. Antiphona. **Veni sponsa Christi.**

℣. **Specie tua.**

Oratio. **Beatæ Leocadiæ.** Et tũc non dicuntur preces Dominicales ad Completorium propter Octauam.

Sequenti die fit de Dominica prædicta cum commemo. Octa. in Laudibus, & secundis Vesperis, sine precibus ad Primam, & Completorium.

DIE XVj. DECEMBRIS.

In Octa. S. Leocadiæ, **duplex,** cum comme. fer. Aduentus.

In primo Noct. Lectiones de Scriptura occurrenti.

Si venerit in Quatuor Temporibus, dicantur de lib. Ecclesiast. **Confitebor tibi, Domine Rex,** vt in eius festo, cum non. Lect. de hom. feriæ.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriani Episcopi & Martyris, de Disciplina, & habitu Virginum.

Lectio iiij.

NVnc nobis ad virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus, atq; ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini: illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atq; in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoq; plus copiosa virginitas numero suo addit, tantò gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potiùs, quã potestate: nec quòd extremi, & minimi, & humilitatis nostrę admodum conscij aliquid ad censuram licentiæ vindicemus, sed quòd ad solicitudinẽ magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus.

℟. Propter veritatem. fol. 97.

Lectio v.

NEc inanis hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica, & vitalia præcepta custodit, vt quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes tam carne, quàm mente se Deo vouerint, consumment opus suum magno præmio destinatum: nec ornari iam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeant, à quo & mercedem virgi-

nitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt verbũ hoc, sed illi quibus data est. Sũt enim spadones, qui ex vtero matris nati sunt sic; & sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus: & sunt spadones, qui se ipsos castrauerũt propter regnum cælorum.

℟. Dilexisti iustitiam. fol. 97.

Lectio vij.

DEnuo quoque per hanc Angeli vocem continentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur. Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus se non coinquinauerunt: virgines enim permansuerunt: hi sunt, qui sequuntur agnum quocumque ierit. Neque enim tantùm masculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fæminas prætterit: sed quoniam fæmina viri portio est, & ex eo sumpta atque formata est, in scripturis ferè omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur & fæmina. Quòd si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt?

℟. Afferentur Regi. fol 97.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. XXV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hãc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Ex Homilia 12. in Euangelium.

OMnes virgines surgũt, quia & electi & reprobi à somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant. Sed lampades fatuarum virginum extinguũtur, quia earũ opera, quæ clara hominibus foris apparuerant, in aduentu iudicis intus obscurantur: & à Deo retributionem non inueniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt. Quid est autem, quòd tunc à prudentibus oleum petunt, nisi quòd in aduẽtu iudicis, cum se intùs vacuas inuenerint, testimonium foris quęrunt? Ac si à sua fiducia deceptæ proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operib⁹, quid vidistis.

℟. Hæc est virgo sapiẽs. fol. 97.

Lectio viij.

SEd prudentes virgines respõdent dicentes. Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis. In illo enim die (quod tamen de quibusdam in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor) sibi metipsi testimonium vniuscuiusque vix sufficit, quãto minus & sibi, & proximo. Vnde & protinus per increpationem subdunt: Ite potiùs ad vendẽtes, & emite vobis. Venditores quippè olei adulatores sunt. Qui enim accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ

offerunt,

offerunt, quasi oleum vendunt: de quo profectò oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris nō impinguet caput meum. Principale etenim membrum nostrũ caput est: appellatione autem capitis ea quæ principatur corpori mens vocatur. Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cũ demulcet mentem fauor adulantis. ℟ Media nocte. fol. 98.

Lectio ix.

SEd dũ irent emere, venit spōsus, quia cùm vitę suę testimonium à proximis quęrunt, iudex venit: qui nō solùm operum, sed & cordium testis est. Quæ autem paratæ erant, intrauerũt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. O si sapere in cordis palato posset quid admirationis habet, quod dicitur: venit sponsus! Quid dulcedinis: intrauerunt cum eo ad nuptias? Quid amaritudinis: & clausa est ianua? Venit quippè ille qui aduentu suo elementa cōcutit, in cuius conspectu cælum, & terra contremiscit. Vnde etiam per Prophetam dicit: Adhuc semel, & ego mouebo, non solùm terram, sed etiam cælum. Ad cuius examen omne humanum genus deducitur, cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum Archangeli, Throni, Principatus, & Dominationes obsequentur.

Te Deum laudamus.

In secundis Vesp. fit commem. feriæ Aduentus.

Quando festum sancti Nicolai Episcopi transfertur ob diem Dominicum post Octau. S. Leocadiæ, in secundis Vesperis diei Octaui fit commemoratio sancti Nicolai & feriæ: sequenti die fiat de S. Nicolao, cum comme. feriæ, & tunc in primis Vesper. Expectationis beatæ Mariæ ante commemora. feriæ fit comme. S. Nicolai, & Añæ Laudum propriæ feriales, quæ dicendæ erant in die xvij. eo anno omittuntur.

DIE XVij. DECEMBRIS.

Hodie in Ecclesia, & Diœcesi Toletana incipiunt Antiphonæ propriæ feriales ad Laudes, & per horas, nisi sit dies Dominicus, vel transferatur in hunc diem festum sancti Nicolai Episcopi, quia tunc incipiunt in die xix. & Añæ Laudum, quæ dicendæ erant in die xvj, semper omittuntur propter Octa. S. Leocadiæ, sic disponentibus Rubricis de Octa. & ferijs in Breuiario Romano, autoritate Clementis VIII. recognito.

Ad finem tandem huius libelli appositæ sunt Tabellæ perpetuæ, in quibus ordinatur, quomodo sit recitandum officium per singulos annos ab hac die xvij. Decembris, vsque ad Vigiliam Natiuitatis Domini inclusiuè, & quomodo distribuendæ sint prædictæ Antiph. Laudum, & Antiph. Expectetur, & quando prætermittendæ.

DIE XViij. DECEMBRIS.

In festo Expectat. Beatæ Mariæ Virg. dup. maius, cum commemor. fer. Aduentus.

Ad Vesperas, Aña.

Missus est, cum reliquis de Laudibus.

Psalmi de B. Maria. Dixit Dominus. Laudate pueri. Lætatus sum. Nisi Domin⁹. Lauda Hierusalem.

Capitulum. *Isai.7.*

ECce Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Fælix cæli porta.
Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.
Solue vincla reis
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle;
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac, & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Iesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor vnus. Amen.

℣. Aue Maria, gratia plena.
℞. Dominus tecum.

Ad Magnificat; Aña.
Spiritus sanctus in te descendet Maria: & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio.

DEus, qui de B. Mariæ Virginis vtero verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis: vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Dominum.

Deinde fit comme. de Aduentu. Antiph. O sapientia.

Si hoc festum venerit in Dominica, transfertur in feriam secundam, & pro comme. Dominicæ in primis Vesper. festi dicitur Aña. O Adonai.

In Completorio, & alijs horis in fine Hymnorū dicatur. Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine.

Ad Matut. Inuit.
Aue Maria, gratia plena.
Dominus tecum.

Psalmus. Venite. Hymnus. Quem terra, pontus. Item Antiphonæ, & Psalmi Nocturnorum, vt in officio sanctæ Mariæ, in fine Breuiarij post officium Sabbati.

Nona Aña. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto. Alleluia.

In primo Nocturno.

De Isaia Propheta.

Lectio j. CAP. VII.

ET adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominū.

Et dixit : Audite ergo domus Dauid : Numquid parum vobis eſt,moleſtos eſſe hominibus,quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium,& vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

℞. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph,nuncians ei verbum: & expaueſcit virgo de lumine. Ne timeas Maria : inueniſti gratiam apud Dominum. * Ecce concipies,& paries : & vocabitur Altiſsimi filius.

℣. Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum. * Ecce concipies.

Lectio ij.

Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini : Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Nō ſecundùm viſionem oculorum iudicabit,neque ſecundùm auditum aurium arguet : ſed iudicabit in iuſtitia pauperes: & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram virga oris ſui: & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiū. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.

℞. Aue Maria,gratia plena,Dominus tecum. * Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtus Altiſſimi obūbrabit tibi : quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.

℣. Quomodo fiet iſtud, quoniā virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei. * Spiritus ſanctus.

Lectio iij. Cap. XXXV.

Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo,& florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda,& laudans : gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron : ipſi videbunt gloriam Domini,& decorē Dei noſtri. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis; Confortamini,& nolite timere : ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis. Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum: & aures ſurdorū patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia ſciſſę ſunt in deſerto aquæ,& torrentes in ſolitudine. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum,& ſitiens in fontes aquarum.

℞. Suſcipe verbum, virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum tranſmiſſum eſt : concipies, & paries Deum pariter & hominē. * Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum : efficieris grauida, & eris mater ſemper intacta. * Vt benedicta.

℣. Gloria. * Vt benedicta.

In secundo Nocturno.

Ex 10. Concilio Toletano cap. 1.

Lectio iiij.

QVoniam die, qua inuenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nunciasse verbis, & indidisse miraculis, eadem festiuitas non potest celebrari condignè, quòd interdum Quadragesimæ dies, vel Paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de sanctorum solemnitatibus sicut ex antiquitate regulari cautum est, conuenit celebrari: cùm etiam, & ipsam Incarnationem Verbi non conueniat tunc celebritatibus prædicari, quando cõstat id ipsum Verbum post mortem carnis, gloria resurrectionis attolli: ideò speciali constitutione sancitur, vt ante octauũ diem, quo natus est Dominus, genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus, & præclarus.

℟. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, dicit Dominus. * Et vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis.

℣. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit in æternum. * Et vocabitur.

Lectio v.

EX pari enim honore cõstat, vt sicut natiuitatem filij sequentium dierum insequitur dignitas: ita festiuitatem matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quid festum est matris, nisi incarnatio Verbi? cuius vtique festum ita debet esse solemne, sicut est, & eiusdem natiuitas Verbi. Quod tamen nec sine exẽplo decẽtis moris, qui per diuersas mundi partes dignoscitur obseruari, videtur institui. In multis namque Ecclesijs à nobis, & spatio remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri. Proinde, vt de cætero quidquid est dubium sit remotum, solemnitas dominicæ matris die quintodecimo Kalendarum Ianuarij omnimodo celebretur.

℟. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. * Et erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.

℣. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis. * Et erit.

Ex gestis Ecclesiæ Toletanæ.

Lectio vi.

QVamuis autẽ annuntiationis B. Mariæ festum suum locum nũc teneat, & octauo Kalẽdas Aprilis in vniuersa Catholica Ecclesia celebretur, Toletana tamen Ecclesia vtramque retinet solemnitatem: alterã mense Martio, vt Romanæ Ecclesiæ (quę magistra omnium Ecclesiarũ, & mater est) sanctissimum institutum sequatur: alteram octauo ante natalẽ Domini die: tùm, quòd hæc solemnitas ab ipsa Toletana Ecclesia instituta fuerit, & magna veneratione ab alijs Ecclesijs suscepta, per vniuersam Hispaniam hactenus celebretur: tùm verò, quòd eo ipso die sanctissima virgo Toletanũ templũ sua præsentia consecrare dignata sit: & famulũ suum Ildefonsum sacris muneribus exornare.

℟. Sácta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferá nescio. * Quia quem cæli capere nõ poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus ventris tui. * Quia quem cæli. ℣. Gloria Patri. * Quia quem cæli.

In tertio Nocturno.

Si hoc festum venerit in fer. IV. Quatuor Temp. Adu. non legitur ix. Lectio de Homil. feriæ, quia est idem Euang.

Lectio S. Euangelij secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

IN illo tẽpore: Miſs⁹ est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomẽ Nazareth, ad Virginẽ despõsatá viro, cui nomẽ erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et reliq.

Hom. S. Ilde. Archiep. Toletani.

Ex libro de Virginitate Mariæ. cap. 1. in initio.

DOmina mea, atq; dominatrix mea: dominás mihi, mater Dñi mei: ancilla filij tui, genitrix factoris mũdi. Te rogo, te oro, te quæso, vt habeam spiritum Dñi tui, spiritũq; filij tui, necnõ & spiritũ Redẽptoris mei: vt de te vera, & digna sapiá, vera & digna loquar, vera & digna queçũque sunt, diligá. Tu enim es electa à Deo, assumpta à Deo, aduocata à Deo, proxima Deo, adhærens Deo, coniuncta Deo: visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo, turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorũ annũtiatione. ℟. Cõgratulamini mihi omnes, qui diligitis Dñm, quia cũ essem paruula, placui Altissimo. * Et de meis visceribus genui Deũ, & hominem. ℣. Beatá me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Et de meis.

Lectio viij.

INuenisse te apud Deum gratiam audis, & ne timeas iuberis: vnde & tu fiducia roboraris, cognitione miraculorũ instrueris, ad nouitatẽ inauditæ gloriæ proueheris. De prole ab Angelo annuntiata es, & post fœtum integra, & pudica manes. Certa virginitas nobis promittitur, & nasciturum ex te sanctum Dei Filium tibi ab Angelo euangelizatur: & quæ sit nascẽtis Regis potẽtia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quæris? de origine interrogas? de ratione perscrutaris? de experientia requiris? de ordine sciscitaris? Audi inauditũ oraculum: considera inusitatũ opus: animaduerte incognitũ arcanũ: attẽde inuisũ factũ. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℟. Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. * Dum virgo Deũ, & hominem genuisti: & post partũ virgo inuiolata permansisti. ℣. Beata es, quæ credidisti: quia perfecta sunt ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. * Dum. ℣. Gloria Patri. * Dum virgo.

Si hoc festũ venerit in fer. Vj. vel Sabb. legitur ix. lect. de hom. fer.

ut habetur in Breuiar. in quatuor Temp. Aduentus: alioquin dicatur sequens. Lectio ix.

Tota inuisibiliter Trinitas cõceptionẽ operabitur in te. Sola persona Filij Dei in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnꝰ: hic Deꝰ virtutũ: hic Rex omniũ sæculorũ: hic factor omniũ rerũ. Ecce beata tu inter mulieres: integra inter puerperas: Dña inter ancillas: Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatã te dicent omnes generationes: beatam te nouerũt omnes cælestes virtutes: beatam prædicãt omnes vates: beatã celebrãt omnes nationes: beata tu fidei nostrę: beata tu animę nostrę: beata dilectioni nostrę: beata prę conijs, & prædicationibus meis. Te Deum laudamus.

Ad Laud. & per horas. Aña

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph.

Aña. Dñs regnauit, cum reli. de Dñica. Aña. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Allel.

Aña. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dñm: ecce concipies, & paries filium. Allel.

Aña. Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius: & regnabit in æternum. Aña. Ecce ancilla Dñi fiat mihi secundũ verbum tuum.

Capitulum. *Isai. 7.*

Ecce virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Hymnus.

O Gloriosa Domina,
Excelsa super sidera,
Qui te creauit prouidè,
Lactasti sacro vbere.
Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent vt astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.
Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Aue Maria, gratia plena.
℟. Dominus tecum.

Ad Benedictus. Aña.

Quomodo fiet istud, Angele Dei, quoniam virum non cognosco? Audi Maria Virgo: Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Si hoc festum venerit in Sabbato Quatuor Tẽp. Aña prædicta omittitur, & eius loco dicatur sequens, Aña Super soliũ Dauid, & super regnũ eius sedebit in æternum.

Oratio.

Deus, qui de B. Mariæ Virginis vtero Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eumdem Dominum.

Fit comme. fer. occurrentis.

In ℟. bre. ad Primã, Christe Fili Dei viui, dicitur ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiã, cap. Ecce virgo concipiet, vt sup. ℟. bre. Specie tua. Et pulchritudine tua. ℟. Specie. ℣. Intende prosperè, procede, & regna. Et pulchritudine. ℣. Gloria. ℟. Specie tua. ℣. Adiuuabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio eius non commebitur.

Ad Sextam. Cap. *Luc.* 1.

DAbit illi Dñs Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in ęternum, & regni eius non erit finis. ℟. Adiuuabit eam. Deus vultu suo. ℟. Adiuuabit. ℣. Deus in medio eius, non commouebitur. Deus vultu. ℣. Gloria Patri. ℟. Adiuuabit. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eã.

Ad Nonam. Cap. *Isai.* 11

EGredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dñi. ℟. Elegit eã Deus. Et præelegit eam. ℟. Elegit. eã. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eã. Et præelegit. ℣. Gloria. ℟. Elegit eã. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. In ij. Vesp. omnia sicut in primis Vesp.

Ad Magnificat. Aña.

Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicẽs: Aue gratia plena, Dñs tecũ, benedicta tu in mulieribus. Item, & si fit commem. fer. Aña. O Adonai. Vel si transferatur festum, Antipho O radix Iesse.

DIE XXX. DECEMBRIS.

Translatio S. Iacobi Apost. Hispaniæ Patro dup. maius. Ad Vesp. Aña. Tecũ principiũ, cũ reliq. Añis, & Psalm. ex ij. Vesp. Nat. Dñi. Cap. Fratres, iam nõ estis. Hym. ℣. & Aña. ad Magnif. de communi Apost. Oratio.

DEus, qui dispositione mirabili corpus B. Iacobi Apostoli tui de Ierosolymis ad Hispaniã transferri, & in Cõpostella gloriose sepeliri voluisti: cõcede propitius, vt eius meritis & precibus in cælesti Ierusalẽ collocari mereamur. Per Dominum.

Fit com. S. Tho. Cãtuar. nisi trãsferatur & cõ. Oct. Natiui. S. Stephani, S. Ioã. & SS. Innocẽt. vt in Breu. de Dñica quoq; infra Oct. Nati. si officiũ nõ fuerit de ea factũ, vel nõ debeat fieri cõ. in die S. Sylue. fit hodie cõ. ante alias cõ. Nota, quòd si festũ S. Tho. Mart. in Dñica venerit, transfertur in Vig. Epiph. & tunc fit de eo, cum ix. lect. & cõm. Vig. in j. Vesp. & Laud. iuxta decret. Greg. XIII. in suo motu proprio pro Hisp.

Ad Matut. & alias horas, omnia de comm. Apost. præter orationem, quę dicitur, vt supr. & Lect. quæ leguntur, vt infra.

In j. Noct. Lect. Sic nos existimet homo, de eodem communi. Initium epistol. ad Roma. ponitur in die S. Syluestri, nisi fuerit positum.

In secundo Nocturno.

Ex Historia Compostellana Didaci Gelmilij Archiepiscopi Compostellani.

Lectio iiii.

IAcobus Zebedæi filius, Ioannis Euágelistæ germanus frater, Ierosolymis ab Herode Iudææ Rege pro Domini, ac magistri sui fide occisus, Apostolorum omnium primus martyrij gloriã adeptus est. Cuius corpus, ne à Iudæis acerbissimis fidei Christianæ hostibus, ignominia aliqua afficeretur, eius discipuli in nauim, diuinitus admoniti, imposuerunt, Deum precati, eorum vt cursum dirigeret, & in eas terras nauigium perferret, vbi sanctissimi Apostoli corpus humari vellet. Deo igitur duce, per vastũ mare delata nauis breui peruenit in Hispaniam; quam Iacobus viuẽs lustrauerat, & in qua Dei verbum aliquando magnis laboribus disseminauerat. ℟. Vidi cõiunctos viros.

Lectio v.

ITaque per Herculei freti angustias in Oceani immensitatem inuecta nauis, in extrema Gallecia constitit: & Iriam Flauiam non absque magno diuinæ prouidẽtiæ miraculo appulsa est. Inde postea sacratissimum eius corpus, quod ignotum diu fuerat, Theodomiro Episcopo Iriẽsi diuinitus patefactum est, & Cõpostellam trãslatum, vbi in marmoreo sepulcro sub Alfonso Casto, Legionis Rege, qui ibidem templum ædificauit, honorificè conditum est: in magnoque honore eius sepulcrũ est apud Christianas omnes nationes, cõfluentibus ex multis disiũctissimis prouincijs, voti, ac religionis causa, peregrinis, & accepta à Dño per Iacobũ eximia beneficia quotidie prædicantibus. ℟. Beati estis.

Ex Epist. S. Cypria. Martyris ad Martyres, & Confessores.

Lib. 2. Epist. 11. ante medium.

Lectio vi.

O Quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis sacramento, ac deuotione militis eius acceptum: sicut scriptum est in Psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos, pariter & admonente: Pretiosa est in conspectu Domini mors iustorum eius! Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quã lætus illic Christus fuit: quàm libens in talibus seruis suis, & pugnauit, & vicit protectione fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit. Certamini suo adfuit: præliatores, atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit.

℟. Isti sunt triumphatores.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

Lectio vij Cap. XX.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliq.

Homilia S. Ambrosij Episcopi.

Ex lib. 5. de Fide ad Gratianum, Cap. 3. tom. 2.

COnsiderãdum est, quę mater filiorum Zebedæi cum

filijs, & pro filijs petat. Mater eſt vtique, cui pro filiorum honore ſolicitæ, immoderatior quidem, ſed tamen ignoſcenda menſura votorum eſt. Atque mater ætate longæua, ſtudio religioſa, ſolatio deſtituta: quæ tunc temporis quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abeſſe ſibi liberos patiebatur, & voluntatis ſuæ mercedem ſequentium Chriſtum prætulerat filiorum: qui prima voce vocati à Domino, vt legimus, relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.

℟. Iſti ſunt, qui viuentes.

Lectio viij.

HÆc igitur ſtudio maternæ ſedulitatis indulgentior obſecrabat Saluatorem, dicens: Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. Etſi error, pietatis tamen error eſt. Neſciunt enim viſcera materna patientiam. Etſi voti auara, tamen veniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ eſt auida, ſed gratiæ. Nec inuerecunda petitio, quæ non ſibi, ſed liberis conſulebat. Matrem conſiderate: matrem cogitate. ℟. Iſti ſunt.

Si fiat commemor. de Dominica, nona lectio erit de Homilia Dominicæ infra Octau. Natiuit. cùm verò non fit comme. de Dominica, legitur ſequens.

Lectio ix. *Paulò poſt.*

COnſiderate enim matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandæuam ſolabatur ſenectam: & deſiderijs licèt feſſa maternis, chariſsimorum pignorum tolerabat abſentiam. Cõſiderate etiam fæminam, hoc eſt, ſexum fragiliorem, quam Dominus propria nondum firmauerat paſsione. Conſiderate, inquam, Euæ illius primæ mulieris hæreditatem transfugam in omnes immoderatæ cupiditatis ſucceſsione labentem, quam Dominus adhuc proprio ſanguine non redemerat; nondum inolitam affectibus omnem immodici contra fas honoris appetentiam ſuo Ieſus cruore diluerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit commemorat. Octau. Natiuit. S. Stephani, S. Ioannis, & SS. Innocent. & ante has comme. fit de Dominica infra Oct. Natiuit. ſi de ea fiat cõmem. vt in Breuiario.

In ii. Veſperis. Aña. Tecum principium, cum reliq. Aña. & Pſalm. de Natiuit. Capit. Fratres, iam non eſtis hoſpites.

Hym. Exultet cælum.

℣. Annuntiauerunt.

Ad Magnificat, Aña. Eſtote fortes, vt in ſecundis Veſperis de communi Apoſt. Oratio, vt ſuprà in primis Veſp.

Deinde fit commem. S. Syluestri Papæ, & Confeſ. & Octauæ, & etiam Dominicæ infra Oct. Natiuit. ante alias comm. ſi de ea fieri debeat, vt in Breuiario.

COMMEMORATIONES

Patronorum huius diœcesis Toletanæ, quæ fiunt cum suffragijs Breuiarij.

QVando fiunt suffragia, seu cõmemorationes communes in officio, post comm. Apost. Petri & Pauli, fiũt sequẽtes comme. de Patronis in tota diœcesi.

Pro SS. Eugenio, & Ildefonso.

Ad Laudes, Ana.

Iusti autem in perpetuum viuẽt, & apud Dominũ est merces eorum. ℣ Exultent iusti in conspectu Dei.
℟ Et delectentur in lætitia.

Ad Vesperas, Ana.

Iusti cõfitebũtur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.
℣ Exultẽt iusti in cõspectu Dei.
℟ Et delectentur in lætitia.

Oratio.

FIat Ecclesia tua, Deus, sanctorum tuorum Eugenij, & Ildefonsi commemoratione deuotior: & quos gaudet habuisse Pontifices, sentiant adiutores.

Pro S. Leocadia Virgin. & Mart.

Ad Laudes, Ana.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.
℣ Adiuuabit eã Deus vultu suo.
℟ Deus in medio eius, nõ commouebitur.

Ad Vesperas, Ana.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.
℣ Adiuuabit eam Deus vultu suo. ℟ Deus in medio eius non commouebitur.

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, B. Leocadia virgo, & martyr imploret; quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis.

Pro pace.

Ana Da pacem Dñe, *vt in Breu.* Oratio. Indulgẽtiam nobis. Debet variari in festis sanctarũ Dorotheæ, Margaritæ, & Christinæ virg. & mar. & tũc pro S. Leocad. dicatur, vel propria, vt habetur in festo eiusdem, vel Deus qui inter cætera: de communi. Ana verò ad Vesperas variatur in alijs festis Virg. & Mart. quando concurrit: & tunc Ana de Laudib. Læua eius: dicatur ad Vesperas pro S. Leocadia. De Titulari Ecclesiæ, vbi consueuit, potest fieri commem. in sua Ecclesia loco prædictarum commem. nam de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ debet fieri commem. cum suffragijs, vt habetur in rub. Breu.

FINIS.

TABELLAE PERPETVÆ, AD RECITANDVM Officium, A die decimaseptima Decembris, vsque ad Vigiliam Natiuitatis Domini inclusiuè, pro litera Dominicali anni currentis.

Pro Anno, in quo litera Dominicalis A.

*A	17	DOminica tertia. Aduẽtus secundæ classis, de ea semiduplex. Missa cum paramentis violaceis, & dalmaticis Oratio secũda. Deus, qui de B. Mariæ, tertia. Ecclesiæ, vel Deus omnium. Dicitur Credo. Vesp. de Expectatione B. Mariæ Virginis, dup commemor. Dominicæ, Aña. O Sapientia, color albus.
b	18	Fer. 2. Expectatio B. Mariæ Virginis, duplex maius, cõmemo fer. Añæ. Egredietur. Añæ Laudum feriæ secũdæ hoc anno prætermittuntur. In Missa Gloria, commemor. fer. Credo. Præfat. Et te in Expectatione. In secundis Vesp. comme. fer. Aña. O Adonai.
c	19	Fer. 3. De ea. Ad Laudes, & per horas, Aña Rorate, cum reliquis de feria 3. Ad Benedict. Aña. Tu Bethleem. In Missa diaconi vtuntur dalmaticis violaceis. Orat. secunda. Deus, qui de B. Mariæ, tertia. Deus omnium, vel Ecclesiæ. In Vesp. fer. ad Magnificat, Aña. O radix, quæ duplicatur, vt in officio duplici.
d	20	Fer. 4. Quatuor Temporum de ea, Ad Laudes, & per hor. Aña. Prophetæ, cum reliq. de fer. 4. Ad Benedict. Aña. Missus est. Orat propria vsque ad Nonam. Ieiunium, De Vig. S. Thomæ, nihil fit in officio. Missa propria ad fer. diaconi vtũtur Planetis. Orat. 2. de vig. 3. Deus, qui de B. Mariæ. Vesp. de S. Tho. Apost. dup. comm. fer. Aña O clauis. Orat. Domin. præced. color rubeus.
e	21	Fer. 5. S. Thom. Apost. dup. 2. class. cõme. fer. Aña. Noli timere. In Missa. Gloria, cõme. fer. tantũ. Credo, & Præfa. de Apost. In ij. Vesp. fit cõ fer. Aña. O Oriens.
f	22	Fer. 6. Quatuor Temporum, de ea. Ad Laud. & per horas, Aña. Cõstantes, cũ reliquis de fer. 6. ad Benedict.

Aña. **Ex quo facta.** Orat. propria vſque ad Nonam. **Ieiunium.** Miſſa propria. Diaconi vtũtur Planetis. Oratio 2. **Deus quide B. Mariæ** 3. **Eccleſiæ.** vel **Deus omniũ.** In Veſper. fer. Ad Mag. Aña. **O Rex,** duplicatur. Orat. Domin. præcedentis.

g | 23 | Sabbato. Quatuor Temporũ de fer. Ad Laud. & per hor. Aña. **Canite,** cum reliq. de Dom. ſeq. Pſal. ex Sabb. Ad Canti. Aña. 4. **Expectetur.** Ad Benedict. Aña **Ecce cõpleta.** Orat. propria, vſq; ad Nonam. **Ieiu.** Añæ. Laud. fer. 5. hoc anno prętermittũtur. Miſ. propria. Diaconi vtũtur Planetis. Orat. 2. **Deus, qui de B. Marię** 3 **Deus omniũ,** vel **Eccleſiæ.** Veſp. de Pſal. & à Cap. de Dom. 4. Aduent. Ad Mag. Aña. **O Emmanuel,** duplicatur, color violaceus.

A | 24 | **Dom. 4. Aduent. 2. claſ.** Vig. Natiuit. Domini Officiũ vt in Bre. Lect. & Reſp. primi & ſecundi Noct. de Dom. à Verſu autẽ iij. Noct. fit de Vig. ſine Lect. Dom. Ad Laud. & vltra offic. **dup.** cum cõm. Domin. Miſſa de Vig. cũ paramentis violaceis, & dalmaticis ſine **Gloria,** fit cõm. Dom. tantùm dicitur **Allel. Credo** & Pręfa. in cantu ſolemni: in fine Miſſæ legitur Euang. S. Ioannis, Veſp. de Nat. Dom **dup.** ſine cõ. Dom. color. albus. Ad Aña. **Alma Redemp.** ℣. **Poſt partum virg.** Orat. **Deus qui ſalutis.**

Pro Anno in quo litera Dominicalis B.

A | 17 | **S**Abbato Quatuor Teporum de fer Ad Laudes, & per horas Aña. **Prophetæ,** cũ reliq. de fer. 4. Pſal. ex Sabbat. Ad Canticũ, Aña. 4. **Expectetur** Ad Benedictus. Aña. **Quomodo.** Orat. propria, vſque ad Nonã. **Ieiu.** Miſſa propria. Diaconi vtũtur Planetis. Orat. 2. **Deus, qui de B. Mariæ.** 3. **Deus omniũ.** vel **Eccleſiæ,** Veſp. de Pſalt. & à Cap. de Dom. 4 Aduent. Ad Mag. Aña **O Sapientia,** quæ duplicatur, vt in officio, dupl ci.

B | 18 | **Dominica 4. Aduentus 2. claſ. de ea ſemiduplex.** Ad Benedictus, Aña **Aue Maria.** In Miſſa Diaconi vtũtur Planetis. Orat. ſecunda. **Deus, qui de B. Mariæ,** 3. **Eccleſiæ,** vel, **Deus omniũ,** Dicitur **Credo,** Veſp. de Expectione B. Mariæ Virg. **duplex,** cum commemor. Dominic. Añ. **O Adonai** color albus.

c | 19 | **Feria 2.** Expectatio B. Mariæ Virginis, **duplex maius,** (fuit heri) cum cõmem. feriæ, Aña. **Dixit Dñs,** Añæ Laudum feriæ ſecundæ hoc anno prætermittuntur. In

Miſſa

		Missa Gloria, com.fer. Credo, Pręfat. Et te in Expectatione. In ij. Vesp.com.feriæ, Aña. O radix.
d	20	Fer.3.De ea. Ad Laud.& per horas, Aña. Rorate, cũ reliquis de fer.3. Ad Benedictus, Aña. Consurge. Ieiunium. De Vigil.S.Thomæ nihil fit in officio, Missa verò dicitur de Vigilia cum Dalmaticis viola. Orat.2.de fer. 3. Deus, qui de B. Marię, Vesp.de S.Thom. Apost. dup. comme. fer. Aña. O clauis, col.rubeus.
e	21	Fer.4. S.Tho.Apost.dup.2.clas.com fer. Aña. Nolite timere. In Missa, Gloria, cõm fer. tantùm Credo, & Præfat.de Apost.in ij.Vesp.com.fer.Aña. O Oriens.
f	22	Fer.5. De ea, Ad Laud. & per Horas, Aña De Sion, cum reliq.de fer.5.Ad Benedictus, Aña. Consolamini. In Missa Diaconi vtuntur Planetis, Orat.2. Deus, qui de B.Mariæ, 3. Eccles. vel Deus omnium In Vesp.fer Ad Magnif. Aña. O Rex, quæ duplicatur
g	23	Fer.6.De ea, Ad Laud,& per Horas, Aña. Cõstantes, cũ reliq.de fer.6. Ad Benedict, Aña. Ecce cõpleta. In Missa Diaconi vtũtur Planetis.Orat.2 Deus, qui de B.Mariæ Virg. 3. Deus omnium, vel Eccles. In Vesper. fer. Ad Magnif. Aña. O Emmanuel, quæ duplicatur.
A	24	Sab.Vig.Natiuit.Dñi, Ad Laud.& vltra officiũ fit dupl. Ieiun. In Missa vtũtur Diaconi Dalmati.viol. Vnica tãtũ Ora.sine Gloria, & Allel. Pręfat.in cãtu solẽni.Vesp. de Natiui.Dñi dup. col.alb. Ad Aña. Alma Redemptoris. ℣. Post partum. Orat. Deus qui salutis.
		Pro anno, in quo litera Dominicalis C.
a	17	FEria 6.Quatuor Temporum.De ea. Ad Laud. & per Horas, Aña. Constantes, cum reliquis de fer.6. Ad Benedict. Aña. Ex quo facta. Oratio propria vsque ad Nonam. Ieiun. In Missa Diaconi vtũtur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B.Mariæ, 3. Eccles. vel. Deus omnium. Vesp. Expectation. B.Mariæ Virg. duplex. comm.fer. Ana. Sapientia, color albus.
b	18	Sab.Quatuor Tẽpo. Expecta B.M. Virg. dup.maius, cũ 9.lect.& com.fer. Ad Bened. pro Expecta. Aña. Super solium Dauid, vt notatur in eius officio. Pro fer. Aña. Quomodo fiet. Orat. propria. Ieiun. Añæ Laud. fer. iij. Et Aña. Expectetur, hoc anno prætermittuntur. In Mis Gloria, cõ.fer. Credo. Præfat. Et te in Expect. Et in fine Euang. fer. In Ecclesijs Cathedral.& Collegiat.cantentur duæ Missæ; Vna de Festo post Tertiã,

		sine aliqua comme cum Euang. S. Ioan. in fine: Altera de Feria post Nonam cum Planetis Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Deus omnium, vel Ecclesiæ. Præf. Et te in Expectatione, in cantu feriali. In 2. vesp. comm. Dominicæ iiij. Aduent. Aña O Adonai.
c	19	Dominica 4. Aduent. 2. clas. De ea, semid. Ad Benedict. Aña Aue Maria. *In Missa Diaconi vtuntur Planetis.* Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ, 3. Eccles. vel Deus omnium. Dicitur Credo. In secundis Vesp. ad Magnifi. Aña. O radix, quæ duplicatur. Dicuntur Vesp. Defunctor. pro Aduentu.
d	20	Fer. 2. De ea. Ad Laudes, & per horas, Aña Ecce veniet, cum reliquis de fer. 2. Ad Benedictus, Aña Dixit Dominus. De Vigilia S. Thomæ, nihil fit in officio. Dicitur j. Noct. cum Laudibus Defunct. Ieiunium. Missa de Vigil. cum paramentis violaceis, & Dalmaticis. Orat. 2. Fidelium de fer. Vesp. de S. Thoma Apost. dup. comme. fer. Aña O clauis, color rubeus.
e	21	Fer. 3. Thomæ Apost. dupl. 2. clas. comme fer. Aña Nolite timere. In Missa Gloria, comme fer. Credo, & Præfat. de Apost. In 2. Vesp. com. fer. Aña O Oriens.
f	22	Fer. 4. De ea. Ad laud. & per horas, Aña Prophetæ cum reliquis de fer. 4. Ad Benedict. Aña. Ponam in Sió. In Missa Diaconi vtuntur Planetis. Orat. 2 Deus, qui de B. Mariæ, 3 Eccles. vel Deus omnium. In Vesp. fer. Ad Magnif. Aña. O Rex, quæ duplicatur.
g	23	Fer. 5. De ea. Ad Laud. & per Horas, Aña. Sió, cum reliquis de fer. 5. Ad Benedictus, Aña. Ecce cópleta. In Missa Diaconi vtútur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Deus omnium. vel Eccles. In Vesper. fer. Ad Magnif. Aña. O Emmanuel, quæ duplicatur.
a	24	Fer. 6. Vigilia Natiuitatis Domini. Ad Laud. & vltra officium fit dup. Ieiunium. In Missa color violaceus cũ Dalmaticis. Vnica tantùm Orat. sine Gloria, & Alleluia. Præfat. in cantu solemni. Vesp. de Natiuitate Domini duplex, color albus. Ad Añam Alma Redemptoris. ℣. Post partum. Orat. Deus, qui salutis.

Pro Anno, in quo litera Dominicalis D.

a	17	FEria 5. Nicolai Episc. & Confes. semiduplex, (fuit 6. huius mensis) comme. fer. Aña. Vigilate, color albus, Añæ. Laudũ fer. 5. hoc anno prætermittũtur. In Missa Gloria, 2. Orat. de fer. 3 Deus qui de B. Mariæ. Vesp.

		de Expect. B. Mariæ Virginis, duplex, com. S. Nicolai Episc. & fer. Aña. O Sapientia, col. albus.
b	18	Feria 6. Quatuor Temporum. Expectatio B. Mariæ Virg. duplex maius, cum nona lectione & comme. fer. Aña. Ex quo facta est. Oratio propria. Ieiunium. Añæ Laudum feriæ 6 hoc anno prætermittuntur. In Missa Gloria, comme. fer. Credo. Præfat. Et te in Expectatione, & in fine Euang. fer. In Ecclesijs Cathedralib. & Collegiatis cantentur duæ Missæ, vna de festo post Tertiam sine aliqua comme. cum Euang. S. Ioannis, in fine, Altera de fer. post Nonã, cum Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Ecclesiæ, vel Deus omnium. Præfat. Et te in Expectatione, in cantu feriali. In secundis Vesp. comme. fer. Aña O Adonai Orat. Domin. præcedentis.
c	19	Sabbato Quatuor Temporum de fer. Ad Laudes, & per Horas, Aña Ecce veniet, cum reliquis de fer. 2. Psalm. ex Sabb. Ad Canticum, Aña. 4. Expectetur. Ad Benedictus, Aña. Quomodo fiet. Orat. propria vsque ad Nonam. Ieiunium. De Vigilia S. Thomæ nihil fit in officio. Missa de feria cum Planetis. Orat. 2. de Vigil. 3. Deus, qui de B. M. Vesp. de Ps. & à Cap. de Dom. 4. Aduent. Ad Mag. Aña. O radix quæ duplicatur.
*D	20	Dom. 4. Aduẽt. 2. clas. de ea sem. Ad Benedict. Aña. Aue Maria. In Missa Diaconi vtũtur Planetis. Ora. 2 Deus, qui de B. Mariæ. 3. Ecclesiæ, vel Deus omnium, & dicitur Credo. Vesp. de S. Thoma, duplex, comme. Dominicæ, Aña. O clauis, col. rubeus.
e	21	Fer. 2 S. Thom. Apost. dup. 2. clas. comm. fer. Aña. Nolite timere. In Missa Gloria, commem. fer. Credo, & Præf. de Apost. In 2. Vesp. comm. fer. Aña. O Oriens.
f	22	Feria 3. De ea. Ad Laud. & per Horas, Aña. Rorate cũ reliq. de fer. 3. Ad Benedictus, Aña. Consurge. In Missa Diaconi vtuntur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ, 3. Deous nanium, vel Ecclesiæ. In Vesp. fer. Ad Magnifi. Aña. O Rex quæ duplicatur.
g	23	Fer. 4. De ea. Ad Laud & per Horas, Aña. Prophetæ, cum reliq. de fer. 4. Ad Benedict. Aña. Ecce cõpleta. In Missa Diaconi vtuntur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Ecclesiæ, vel Deus omnium. In Vesp. fer. Ad Magnifi. Aña. O Emmanuel, quæ duplicatur.
a	24	Feria 5. Vigilia Natiuit. Domini. Ad Laudes, & vltra officium eius dup. Ieiunium. In Missa color violaceus cũ

dalmaticis. Vna tãtùm Orat. sine Gloria, & Alleluia. Præfat. in cantu solemni. Vesp. de Natiuitate Domini. duplex, color albus. Ad Añam. Alma Redemptoris. ℣. Post partum. Oratio. Deus qui salutis.

Pro Anno, in quo litera Dominicalis E.

a	17	FEria 4. Quatuor Temporũ. De ea. Ad Laudes, & per Horas, Aña. Prophetæ, cum reliquis de feria 4. Ad Benedictus, Aña. Missus est. Oratio propria vsque ad Nonam. Ieiunium. Missa propria, Diaconi vtuntur planetis, Ora. 2. Deus qui de B. Mariæ, 3. Deus omniũ, vel Ecclesię. Vesp. de Expectatione B. Marię Virg. duplex, cõ. fer. Aña. O Sapientia, color albus.
b	18	Feria 5. Expectatio B. Mariæ Virginis, duplex maius, commem. fer. Aña. Vigilate. Añæ Laudum ferię 5. hoc anno prætermittuntur. In Missa Gloria, comme. fer. Credo Præfat. Et te in Expectatione. In secundis Vesp comme. fer. Aña. O Adonai.
c	19	Feria 6. Quatuor Temporum. De ea. Ad Laudes, & per Horas, Aña. Constantes, cum reliquis de fer. 6. Ad Benedictus, Aña. Ex quo facta. Oratio propria vsque ad Nonam. Ieiunium. Missa propria; Diaconi vtuntur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de Beatæ Mariæ, 3. Ecclesiæ, vel Deus omnium In Vesperis ferial. Ad Magnificat, Aña. O radix, quæ duplicatur, vt in officio duplici. Orat. Domin. præcedentis.
d	20	Sabbato Quatuor Temporum, de feria. Ad Laudes, & per Horas, Aña. Ecce veniet, cum reliquis de fer. 2. Psalm. ex Sabb. Ad Canticum, Aña. 4 Expectetur. Ad Benedictus, Aña. Quomodo fiet. Oratio propria vsque ad Nonam. Ieiunium. De Vigil. S. Thomæ nihil fit in officio, Missa propria de fer. Diaconi vtuntur Planetis, Oratio. 2. de Vigilia 3. Deus, qui de B. Mariæ. Vesper. de Psalterio, & à Capitulo de Dominica 4. Aduentus. Ad Magnificat. Aña. O clauis, quæ duplicatur, color violaceus.
E	21	Dominica Aduent. 2 clasis, de ea semiduplex. Ad Bened. Aña. Nolite timere. In Missa Diaconi vtũtur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. M. 3. Eccles. vel, Deus omnium. Dicitur Credo. Vesp. de S. Thom. Apostol. dup. comme. Domin. Aña. O Oriens, color rubeus.
f	22	Feria 2. Thomæ Apost. dup. 2. clasis (fuit heri) commem. fer. Aña. Dixit Dñs. In Missa Gloria, cõ. fer. Credo,

& Præfat. de Apost. In ij. Vesp. com. fer. Aña. O Rex.

g 23 Feria 3. De ea. Ad Laudes & per Hor. Aña Rorate, cũ reliq. de fer. 3. Ad Benedict. Aña. Ecce completa. In Missa Diaconi vtũtur Planetis. Ora. 2 Deus, qui de B. Mariæ, 3. Deus omniũ, vel Eccles. In Vesp. fer. Ad Magnificat, Aña. O Emmanuel quæ duplicatur.

a 24 Feria 4. Vigilia Natiuitatis Domini: Ad Laud. & vltra officium dup. Ieiunium. In Missa color violac. cum dalmaticis vtantur. Orat. sine Gloria, & Allelu. Præfat. in cantu solemni. Vesp. de Natiuitate Domin. dup. color albus. Ad Añam. Alma Redemptoris. ℣. Post partum. Orat. Deus, qui salutis.

Pro Anno, in quo litera Dominicalis F.

a 17 FEr. 3. De ea. Ad Laud. & per Horas. Aña Rorate, cũ reliq. de fer. 3. Ad Bened. Aña. Tu Bethleẽ. In Missa Diaconi vtuntur Dalmaticis violaceis. Orat. 2a. Deus, qui de B. Mariæ, 3. Eccles. vel. Deus omnium. Vesp. de Expectatione B. Mariæ Virginis, dup. comme. fer. Aña. O Sapientia, color albus.

b 18 Fer. 4. Quatuor Tẽpor. Expecta. B. M. Virg. dup. maius, cum com. sine lect. fer. quia est idem Euãg. Aña. Missus est. Orat. propria. Ieiun. Añæ fer. 4. hoc anno prætermittuntur. In Missa Gloria, com fer. Credo. Præfa. Et te in Expectatione, & in fine legitur Euãg. S. Ioan. in Eccles. Cathedralib. & Collegiat. cãtetur duæ Missæ, vna de festo, post Tertiam sine aliquã comm. Altera de feria post Nonam cum Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ, 3. Deus omnium, vel Eccles. Præfat. Et te in Expectatione, in cantu fer. In 2. Vesp. comm. fer. Aña. O Adonai. Orat. Dom. praeced.

c 19 Fer. 5. De ea. Ad Laud. & per Horas, Aña. De Sion. cum reliq. de fer. 5. Ad Benedic. Aña Vigilate,. In Missa Diaconi vtuntur Dalmaticis viola. Ora. 2. Deus, qui de B. M. 3. Eccles. *Vel* Deus omniũ In Vesp. fer. Ad Magni. Aña, O Radix quæ duplicatur, vt in officio duplici.

d 20 Fer. 6. Quatuor Tẽp. De ea. Ad Laud. & per hor. Aña Cõstãtes cum reliq. de fer. 6. Ad Bened. Aña. Ex quo facta. Orat. propria, vsq; ad Nonam. Ieiun. De Vigil. S. Thom. nihil fit in offic. Missa propria de fer. cũ Planetis. Orat. 2. de Vigil. 3. Deus, qui de B. Mariæ. Vesp. de S. Thom. Apost. duplex, cõmem. fer. Aña. O clauis. Orat. Dominicæ præcedentis, color rubeus.

Sabbato

e	21	Sabba. Quatuor Temp. Thom. Apost. dup. 2. clas. cū 9. lect. & cōme. fer. Añæ. Nolite timere. Orat. propria. Ieiun. Aña. Expectetur, hoc anno prætermittitur. In Miss. Credo. comme. fer. Gloria Præfat. de Apost. & in fine legitur Euang. fer. In Ecclesijs Cathedral. & Collegia. cātantur duæ Missæ: vna de festo post Tertiā, sine aliqua cōm. cum Euang. S. Ioan. in fine, altera de fer. post. Nonā, cū Planetis Or. 2. Deus, qui de B. M. 3. Deus omnium, vel Eccles. & Præfat. de Apostolis in cantu feriali. In 2. Vesp. cō. Dom. 4. Aduentus, Aña. O Oriens. Orat. Dom. col. rubeus.
*F	22	Dom. 4. Aduen. 2. clas. De ea, semid. Ad Benedict. Aña. Aue Maria. In Missa Diaconi vtuntur Planetis. Ora. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Eccles. vel, Deus omniū. Dicitur Credo. In 2. Vesp. ad Magnif. Aña O Rex, quæ duplicatur. Dicuntur Vesp. Defunctor. pro Aduentu.
g	23	Fer. 2. De ea. Ad Laud. & per horas, Aña. Ecce veniet, cū reliq. de fer. 3. Ad Benedict. Aña. Ecce cōpleta. Dicitur 1. Noct. cū Laud. Defunct. In Miss. Diaconi vtūtur Planetis Ora. 2. Fidelium, 3. Deus, qui de B. M. In Vesp. fer. Ad Magnif. Aña. O Emmanuel, quæ duplicatur.
a	24	Fer. 3. Vigil. Natiuit. Domini. Ad Laud. & vltra officiū fit duplex. Ieiunium. In Missa col. violaceus cum Dalmaticis. Vna tantum Oratio, sine Gloria & Alleluia Præfat. in cantu solemni. Vesp. de Natiuitate Domini duplex color albus. Ad Añam. Alma Redemptoris. ℣. Post partum virgo. Orat. Deus, qui salutis.

Pro Anno, in quo litera Dominicalis G.

*G	16	DOminica 3. Aduentus, 2. classis. De ea, semid. cum comme. dies Octau. S. Leocadiæ. Missa cum Dalmaticis violaceis. Orat. 2. de Octau. 3. Orat. nō dicitur, & dicitur Credo. In secundis Vesp. fit comme. Octau. dicuntur Vesp. Defunctor. pro Aduentu.
a	17	Fer. 2. Ad Laud. & per hor. Aña. Ecce veniet, cū reliq. de fer. 2. Ad Bened. Aña Egredietur. Dicitur 1. Noct. cū Laud. Defunct. In Missa Diaconi vtuntur Dalmaticis viola. Ora. 2. Fideliū. 3. Deus, qui de B. M. Vesp. de Expectat. B. M. Virg. dup. cō. fer. Aña. Sapiētia, col. alb.
b	18	Feria 3. Expectatio B. Mariæ Virg. dup. maius cōm. fer. Aña. Tu Bethleem de fer. 3. hoc anno prætermittitur. In Missa Gloria, cōme. fer. Credo. Præfat. Et te in Expectatione. In 2. Vesp. cōme. fer. Aña. O Adonai.

Feria

c	19	Feria 4. Quatuor Tēporum. De ea. Ad Laud. & per Horas, Aña Prophetæ, cum reliq. de fer. 4. Ad Benedict. Aña. Missus est. Orat. propria vsque ad Nonā Ieiun. Missa propria. Diaconi vtūtur Planetis. Orat. 2. Deus qui de B. Mariæ. 3. Deus, omnium, vel Ecclesiæ. In Vesp. fer. Ad Magnif Aña. O radix, quæ duplicatur, vt in officio dupl. ci. Orat. Dom. præcedentis.
d	20	Fer. 5. De ea. Ad Laudes, & per Horas, Aña De Siō, cū reliquis de fer. 5. Ad Benedictus. Aña. Vigilate. Ieiun. de Vigilia S. Thomæ. nihil fit in officio. Missa verò dicitur de Vigilia cum Dalmaticis violaceis. Orat. 2. de fer. 3. Deus, qui de B. Mariæ Vesp. de S. Thom. Apost. dup. comme. feriæ Aña. O clauis, col. rubeus.
e	21	Fer. 6. Quatuor Tēporum Thom. Apost. duplex 2. clas. cum 9. lect. & comm. fer. Aña. Nolite timere. Oratio propria. Ieiun. In Missa, Gloria, comm. fer. Credo, Præfat. de Apost. & in fine legitur Euang. fer. in Eccles. Cathedr. & Colleg. cantentur duæ Missæ, vna de festo post Tertiam, sine aliqua com. cum Euang. S. Ioan. in fine: altera de feria post Nonam, cum Planetis Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ. 3. Eccles. vel Deus omnium, & Præfat. de Apost. in cantu feriali. In 2 vesp. comme fer. Aña. O Oriens Orat. Domin. præced.
f	22	Sabbato Quatuor Temporum de fer. ad Laud. & per horas, Aña. Constantes, cum reliq. de fer. 6. Psal. ex Sabb. Ad Cant. Aña 4. Expectetur. Ad Benedictus. Aña Quomodo fiet. Oratio propria vsque ad Nonam. Ieiunium. Missa propria, Diaconi vtūtur Planetis. Orat 2 Deus, qui de B. Mariæ. 3 Deus omnium, vel Eccles. Vesp. de Psal. & à Cap. de Dom. 4. Aduentus. Ad Magnif. Aña. O Rex, duplicatur, color violaceus.
G	23	Dom. 4. Aduentus, 2. clas. De ea, semid. Ad Benedictus Aña. Ecce completa. In Missa Diaconi vtuntur Planetis. Orat. 2. Deus, qui de B. Mariæ, 3 Ecclesiæ, vel Deus omnium, & dicitur, Credo. In 2. Vesp. Ad Magnif. Aña. O Emmanuel, quæ duplicatur.
A	24	Fer. 2. Vigilia Natiuitatis Domini Ad Laud. & vltra, officium fit, dup. Ieiuniū, In Missa, col. violaceus cum Dalmaticis. Vna tantū Orat. sine Gloria, & Alleluia Præfat. in cantu solemni. Vesp. de Natiuitate Domini dup. col. albus. Ad Añam Alma Redemptoris. ℣ Post partum. Orat. Deus, qui salutis.

FINIS.

M A T R I T I.

Ex Typographia Regia.

Anno M. DC.XXVII.